



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

Liber CLXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CLXI.

PIUS IV. PONTIFEX MAXIMUS, FER-
DINANDUS I. OCCID. IMP.

§. I.

*Pontificis studium circa Aulæ suce-
emendationem.*

Cum interea Patres reliqua Synodi
negotia summo studio promove-
rent, ipse etiam Pontifex omnem
in eo impendit sollicitudinem, ut Ro-
manam Curiam emendaret, atque Epi-
scopos ad residendum obstringeret. E-
quidem circa primum articulum Pau-
lus III. prorsus insignia condebat decre-
ta, quibus ejus Successores alia adhuc
addebant, inter quæ præcipuum caput
summorum Pontificum electionem re-
spiciebat, cum ab ea rectum totius Cu-
riæ regimen dependeat. Julius quoque
hujus nominis tertius Pontifex post diu-
turnam, frequentemque consultationem
ad reformanda Pontificum comitia quod-
dam diploma dictabat, sed a legis hu-
jus

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

*Pallav. l. 18.
c. 17. n. 1.
Et 2. opist.
Borrom. ad
Legat. 31.
Octobr. Et
Legat. ad
Borrom.
8. Nov.*

Sæcul. XVI
A.C. 1562

jus promulgatione per intempestivam mortem præpediebatur. Denique Pius IV. converso in idem propositum animo quamdam Constitutionem a se confectam ad Synodi Legatos transmisit, addito tamen præcepto, ut illam adhuc secretam tenerent, ac nemini communicarent. Itaque Legati accepto perlectoque hoc diplomate illud imperio commendarunt, ac Sanctissimo Patri hæc in responsis dederunt: optamus vehementer, ut legem hanc nonnisi post longam temporis moram in opus deducendi necessitas cogat, eoquod illi de sui Successoris electione ageretur. Ceterum huic Decreto postea Gregorius XV. quosdam adjecit articulos.

Ad secundum vero caput de residendi lege jam antea Legati decretum a se confectum ad Papam transmittabant, ut de ejus mente certiores fierent, priusquam hæc constitutio Synodi Patribus proponeretur. Hanc in rem præstolabantur, donec examen circa Sacramentum Ordinis penitus absolveretur, hanc tamen decisionem non parum maturare cogebantur propter proximum Gallorum adventum, cum hos facilius ad officium redigendos sperarent, si ipsi hoc negotium saltem jam inceptum cernerent.

S. II.

§. II.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Residentiae negotium a Cardinale Mantuano propositum.

*Pallav. n. 3.
§ 4.*

Cum itaque de Canone septimo disputatio vehementius ferveret, Cardinalis Mantuanus cujusdam Congregationis initio hanc in sententiam Prælatos alloquebatur: „cum servandæ fidei tempus advenerit, promissi executionem haud ultra differendam censeo: duo autem sunt, quæ vobis proponenda veniunt, quorum primum est, quod cum fuisset die undecima Martii in conventu propositum, ut excogitaretur ratio, qua Episcopi ad residendum compellerentur, ac exinde ingens utilitas in Ecclesiam redundare crederetur, Patres ad alia, quam quæ a Legatis fuere proposita, transitum facientes disputassent, cujusnam juris esset præcepta residendi necessitas, quod tamen proponere nunquam Legatis in animo fuerat, hacque ex ratione præfata quæstio dilata fuit ad tempus, quo de Sacramento Ordinis ageretur: nunc vero vos obtestor, ut decretum vobis proponendum attente consideretis, cum id ad normam veterum Conciliorum sit confectum, in quibus Episcopi ad residendum præmiis alliciebantur, contumaces vero pœnis adigebantur.

*Sarpus l. 7.
pag. 605.*

Sæcul. XVI. „gebantur, cum ea agendi ratio magis
A.C. 1562. „ad legis observantiam efficax, nec non
 „magis remota videatur ab omni con-
 „tentione, atque aliunde id Cæsari, Re-
 „gique Catholico probaretur, imo e-
 „tiam vix dubitandum, quin non par-
 „ter a Franciæ Rege ratum haberetur,
 „eoquod Lanfacus iilius Orator, cuius
 „auctoritas ac prudentia satis cognita
 „est, declarasset, ipsi perinde esse, ut
 „residendi lex juris Divini, vel humani
 „esse definiretur, dummodo ea in exe-
 „cutionem deducatur: igitur decretum
 „vobis propositum prælegatur, Patrum
 „vero erit suum desuper proferre ju-
 „dicium. „

„Alterum vero, quod vobis propo-
 „nam, est, ut vos admoneam, quate-
 „nus præ oculis habeatis, vos esse lu-
 „cem mundi positam a Deo in monte,
 „& supra candelabrum Ecclesiæ, vos
 „ergo decet, ut sacræ Paginæ, Sancto-
 „rumque Patrum testimoniis discepte-
 „tis, non autem ira commoti mutis
 „injuriis vos laceffatis; hac enim ra-
 „tione in sequentibus Patrum conven-
 „tibus pax & concordia procurabitur,
 „simulque memoria omnium acerbita-
 „tum, quæ plus justo in prioribus ses-
 „sionibus audiebantur, obliterari pote-
 „rit. „ Absoluto hoc sermone ille, qui
 Synodo a secretis erat, Decretum præ-
 legit,

legit, postea autem actum est de Sacra-
mento Ordinis.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. III.

*Hispaniæ Regis monita ad Nationis
sue Episcopos.*

Cum autem Hispaniæ Rex vereretur,
ne Galli proxime adventantes ef-
fræni libertate Pontificis auctoritatem
impugnarent, atque ad sua studia e-
tiam quosdam Hispanici Regni Præsu-
les pertraherent, hinc disertis verbis
declarabat, quod sue mentis esset, ut
una omnes, junctis animis Sanctissimi
Patris dignitatem tuerentur. Verum
suspicio, quam Rex Catholicus adver-
sus Franciæ Prælatos conceperat, va-
lida ratione destituta videtur; quippe
hi Præfules una ex parte adeo Sedis
Apostolicæ obsequio addicti erant, ut
nihil de illis, quæ ipsi jure debentur,
eidem auferre præsumerent, ex altera
autem parte tantopere eruditi erant, ut
iniquis Papæ juribus favere abhorre-
rent. (*)

Pallav. n. 7.
Sorp. p. 602.
& 603.

(*) Sane hoc velamine omnes etiam hæ-
retici iniquas suas vexationes, quibus Papæ
auctoritatem aggrediebantur, tegere studue-
runt, atque hodie dum Pseudo-Catholici se Pon-
tificis obsequio esse addictos jactitant, cum
tamen in eo non nisi honoris & dignitatis Pri-
matum

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. IV.

Cæsar Oratores sese Gallis unire
iussi.

Pallav. l. 18. cap. 17. n. 8. Verum Ferdinandus Imperator, qui
hac in re Princeps erat Hispanie

Rege magis prudens, (*) suis Orato-
ribus præcipiebat, ut Gallorum firmi-
tatem

matum agnoscant, omnem vero supremæ ju-
risdictionis auctoritatem eidem abnegent, ne
commentitiis Papæ juribus tanquam Veri-
rerum probe gnari ac illustrati favere credan-
tur, hinc cuncta in Pontifice tanquam iniqua
jura libere suggillant, quæ vel eorum vitæ
licentiis, vel privatis quæstibus, aut sub
Principibus adulandi vel hæreticis complacendi
studio obstant. Uno verbo, ita se oretentis
Catholicos dicunt, ac haberi gestiunt, ut ta-
men hæreticis displicere sedulo caveant, ut
oves dici cupiunt, ut tamen Pastorem carpere,
dijudicare, & contemnere ipsis integrum sit
sub obtentu, quod duntaxat iniqua illius jura
impugnent.

(*) Jam Cæsar, cum Gallis favere vide-
tur, a Continuatore tanquam prudens com-
mendatur, cum tamen ab eo sæpius alibi pesti-
me habitus fuerit: firmitas quoque dicitur,
dum summo Pontifici obstititur, cum tamen
Cæsar longe alia suis Oratotibus commen-
dasset:

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

tatem imitantes juncta cum eis opera reformationis negotium urgerent: quapropter ipsis hæc significari jussit, „si „hanc emendationem obtinere non poteritis, quantum Christianæ gentis „utilitas deposcit, absque mora ad nos „revertimini: quoniam vero Papæ Legati vobis exposuerant, quod in libello a nobis transmissio quidam reperiantur articuli, qui si proponerentur, offensionem, ac molestiam Synodo allaturi essent, jubeo, ut cuncta, quæ offendere possent, inde auferatis, ac reliqua proponatis: præcipue vero remedia opponi petatis Clericorum concubinatui, Simonæ, luxui, ac pravæ Ecclesiasticorum proventuum distributioni. „

His quoque addebat Imperator: „ad nostras pariter aures pervenit declaratio Gallorum circa adventum Comitis Lunensis, qui meo nomine tanquam Cæsareus Orator Synodum accessurus est: ut ergo prævie circa Sedis prærogativam cuncta evitentur litigia,

dasset: unice enim reformationis negotium urgeri, ac Synodi dissolutionem præpediri optabat: num forte hæc quoque sunt iniqua Pontificum jura, a quibus Cæsar utpote Princeps prudens & eruditus abhorruit?

Hist. Eccles. Tom. XLV. I i

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

„tiglia, de rei veritate perquiratis, me-
„que desuper certiozem reddatis: hic
„rumor, prosequatur Cæsar, haud
„inanis esse videtur; notum enim est,
„Lanfatum ad Reginam perscripsisse,
„quod, si accideret, priusquam ipse a
„Rege Domino suo mandatum accepisset,
„set, nullatenus Lunensi Comiti cedere
„vellet, nisi Synodus disertis verbis
„declararet, sibi tanquam oratori Re-
„gis Christianissimi primam Sedem post
„Cæsareos oratores deberi.”

§. V.

Sessiois prorogatio a Gallis petita.

Pallav. n. 9. Ceterum Galli, qui jam Tridentum
venerant, nil intentatum, inausum-
que relinquebant, ut Sessionem usque
ad Lotharingii Cardinalis adventum
deferri obtinerent: ut autem eo certius
suum consequerentur propositum, le-
dulo evitabant omnia, quæcunque vel
ex nimia vehementia, vel præcipiti con-
silio Patrum animos exacerbare possent,
quapropter, cum ipsis jamjam traditum
fuisset decretum, quod pro morum re-
mendatione conceptum fuerat, illud
summopere commendabant, unice a
Legatis postulantes, ne ullo pacto plura
beneficia possidendi facultas retringe-
retur.

§. VI.

§. VI.

Sæcl XVI.
A.C. 1562.*Sessiois dilatio ad quindecim dies a
Legatis decreta.*

Cum duodecima Novembris dies pro-
ximæ Sessiois præfixa appropin-
quaret, rursus Lansacus Patribus sup-
plicabat, quatenus illam per aliquot
dies differrent, eoquod Lotharingii
Cardinalis adventus proxime instaret.
Faciles ad id aures præbebant Legati,
quod etiam Lansacus cum tanta animi
sui voluptate percepit, ut interim de-
cretum de residentia sibi a Legatis o-
stensum proponi haud ægre ferret, ea-
demque occasione iterum insinuaret,
sua nihil interesse, hoc, an illo jure præ-
cepta declararetur residentia, prout
idem Cardinalis Mantuanus in rupero
conventu retulerat.

His ita dispositis Lansacus quanto-
cius discessit, Lotharingio Cardinali ob-
viam processurus, eo autem adhuc ab-
sente Arnaldus Ferrerius ejus Socius
rursus Sessiois prorogationem petebat,
quod eadem facilitate ipsi quoque æ-
que ac Lansaco datum est, adjecta ta-
men hac conditione: *si Pontifex pariter
annueret*: cum autem Papa, dum de hac
concessione certior factus fuerat, repente
suam mutasset sententiam, forte res
aliam induissent faciem, nisi ejus Nun-
tius

Sæcul. XVI.
A.C. 1562. tius serius adventasset, postquam Legati suam jamjam fidem obstrinxerant: quapropter ipsi etiam integra fide promissis suis stabant, nec minus etiam de proximo Lotharingii Cardinalis adventu promissionis a Gallis factæ veritas paulo post eventu comprobata fuit.

§. VII.

Quidam a Papa & Legatis adventanti Lotharingio Cardinali obviam missi.

Pallav. n. II.
Sarpinus l. 7.
pag. 606. Postquam Pontifex Lotharingium Braxiam adventasse compererat, mox Carolum Grassium Montis Falisci Episcopum Roma ablegabat, qui salutationis officiis perfunderetur, & Cardinalem Tridentum comitaretur. Pariter Legati obviam mittebant Urbanum Roborem Senogallensem Episcopum, qui Lotharingium prope Gardiæ Lacum exceperat: Grassius vero præstito obsequio, a Cardinale Lotharingio jussus Tridentum contendit, ut Legatis proximum ejus adventum annuntiaret, eos rogando, ut illum præstolari vellent: ipse vero Cardinalis non nisi Roborem secum retinuit, qui eum quoque Tridentum comitaretur.

§. VIII.

§. VIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.*Lotharingii Cardinalis indoles.*

Ceterum Lotharingus Cardinalis Vir erat magna auctoritate præstans, necnon tam proprio merito, quam generis sui nobilitate conspicuus, atque ad præclara obsequia feliciter Ecclesiæ præstanda idoneus: mira insuper ingenii acie, parique eruditione præditus, suæque dignitate, genere, ac animi generositate insignis. Verum hæc dotes longe superabat ejus ambitio: præterea summa imperitandi cupiditate deformis, atque ad quævis audenda projectus erat, ac improbo regebatur affectu, quo omnibus ac ubique dominari, omnesque ad suæ voluntatis obsequium pro summo imperio flectere attentabat.

Interea Franciæ Episcopi justo numero Tridentum venerant, partim ut Regis sui mandatis obtemperarent, partim ut Lotharingium Cardinalem, cui omnes addicti erant, atque a suis consiliis recedere non audebant, comitentur: inde vero oriebatur, quod Italiæ Præsules haud adeo piam de Lotharingio opinionem conciperent, & si quid probi de eo intelligerent, id non nisi tanquam obsequii, ac urbanitatis studium interpretarentur, sat persuasi, quod præcipue omnibus illis, quæ de

*Pallav. ib.
Ant. Maria
Gratian. in
vita Com-
mend. l. 2.
cop. 5.*

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

ejus moderatione præclare jactabantur, non nisi per summam levitatem fides adhiberi valeat: quocirca Amulius Cardinalis in sua ad Seripandum epistola affirmabat, quod omnia speciosa hæc verba nil nisi adulterinæ merces essent, & potius, ut de hujus Cardinalis consilio, agendique ratione sanum judicium ferri posset, non illius linguam, sed manus, & opera inspicere oporteret.

§. IX.

Patrum conventus usque ad Lotharingii adventum a Legatis interrupti.

Pallav. c. 17. num. 19.

Præterea Ferrerius Franciæ Orator a Legatis petebat, ut, quamprimum Lotharingium non nisi tridui itinere a Tridentina urbe distare innotesceret, mox Patrum conventus usque ad ejus adventum interromperentur, ut ipsemet frequentiores aliorum sententias circa quæstionem de Episcoporum auctoritate agitandam percipere posset. Verum initio Præsides huic petitioni deferre cunctabantur, causati, quod ejusmodi mora inutilis foret, cum in quavis congregatione octo vel decem Patres adessent, ibique singulis diebus suas sententias promerent, proin Cardinali integrum foret, ut etiam post suum adventum

adventum plusquam mediam Præfulum Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
eo præfente opinantium partem excipere possent: cum autem altera ex parte considerarent, quod ejusmodi repulsa funestis malis obnoxia foret, hinc usque ad Cardinalis adventum nullam amplius congregationem haberi decreverunt.

§. X.

Cardinalis data ad Legatos epistola Sessionem differri postulans.

Grassius igitur Tridentum delatus Cardinalis Lotharingii nomine Sessionem prorogari postulat, ignarus, quod hæc dilatio jam antea fuisset impetrata. Afferebat quoque epistolam Brixiae die nona Novembris ad Legatos scriptam, in qua idem Cardinalis eisdem hæc significabat: „videtur mihi utpote Synodo jam propinquo, aliquam studii ac obsequii mei significationem præmittendam erga ipsos, qui Præsidum munere funguntur; mihi enim persuasum, deo, quod per illud officium eo facilius, quæ peto, impetraturus sim, eo potissimum nomine, quod tam ego, quam Socii mei diligentiam omnem impenderimus, ut ante destinatum Sessioni diem Tridentum perveniremus. Verum cum nobis nec celerius iter conficere licuerit, nec jam per summam

Sæc. XVI.

A. C. 1562.

„mam lassitudinem liceat in tempore ad-
 „esse Tridenti, vos rogo, etiam nomine
 „venerabilium illorum Præfulum comi-
 „tum meorum, ut per paucos dies Ses-
 „sionem retardare velitis. Insuper E-
 „piscopus Montis Falisci ad me missus
 „fuit a Pontifice, ut me inviseret, ac
 „Tridentum deduceret; hic autem mi-
 „hi significabat, habere se in mandatis,
 „ut idem hunc favorem a Præsidibus
 „Pontificis nomine peteret; nihilomi-
 „nus cum spatium tam angustum cet-
 „nerem, volui iter festinare per verede-
 „rios equos, ut meum vobis obsequium
 „eo citius deferre valeam: idem etiam
 „a vobis petiturus est Ferrerius, ad
 „quem ea de re jam antea scripseram.

Ad hæc Legati respondebant, quod
 ad solam Oratoris Gallici propositionem
 jam antea Sessionem differre decrevis-
 sent, imò etiam Patrum conventus in-
 terrupissent, ut eidem luculentius suæ
 venerationis argumentum præberent.

§. XI.

Pallav. n. 21. *Lotharingius Tridentum adventans.*
Sarpus l. 7. **B**ini postea habebantur congressus, in
p. 606. quibus de excipiendo hoc Cardina-
Thuan. l. 32. le agebatur. Denique Madrutius Car-
n. 2. dinalis unacum pluribus Prælati uno
Raynald. hoc dinalis unacum pluribus Prælati uno
ann. n. 109. ferme milliari a Tridentina urbe ad-
Spond. ibid. ventanti obviam ibat: Legati autem
n. 36. eum.

eundem nonnisi ante urbis portam ex-
ceperunt, eumque equo vecti ad suum di-
versorium comitati fuere.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

Illius latera utrinque stipabant Man-
tuanus, & Seripandus Cardinales, hoc
honoris genus eidem deferendum ar-
bitrati, eoquod Montanus, & Sanctacru-
cius Cardinales eundem pari obsequio
honorassent, dum Bononiam, ubi tum
Synodus fuerat translata, Cardinali-
tium galerum Romæ accepturus per-
transibat. Sequebantur ceteri duo Le-
gati, ac Cardinalis Madrutius, proximi
autem incedebant Ecclesiastici Cæsaris
& Poloniæ Regis Oratores præter cen-
tum triginta & unum Præsules, ceteri
autem aberant, eoquod eorum expecta-
tionem adventus celeritas prævertisset.
Præcedebant equis vecti Oratores Lai-
ci tum Veneti tum Galli, tum Floren-
tini; cum Cardinale autem Lotharingio
advenerant quatuordecim Episcopi Gal-
li, tres Abbates, octodecim Theologi,
quorum duodecim Facultatis Parisinæ
Doctores erant, qui una omnes sumptu
regio alebantur, reliqui autem a pecu-
liaribus Episcopis ablegati fuerant. Tum
quidem ejus adventus, qui antea in-
gentem incusserat timorem, apud com-
plures lætitiâ creabat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

§. XII.

Lotharingius Legatos salutans, ac cum eis colloquens.

Pallav. l. 19. cap. I. n. 5. Sarp. p. 607. Lotharingius vespere ejusdem diei, quo advenerat, Cardinalem Mantuanum visum ibat, altera vero die pari obsequio ceteros Legatos honorabat, comitantibus eum duobus Franciæ Oratoribus Lanfaco, & Ferrerio; Pibracus enim jam aliquot abhinc Mensibus ad sua reversus erat. Ibidem Cardinalis habito cum Legatis colloquio duo præcipue proponebat, quorum primum concernebat Regem Christianissimum, alterum vero semetipsum.

Itaque orationis suæ hæc summa erat: „ Quemadmodum a Regia Majestate sua ad id oneris suscipiendum, impulsus fueram studio erga Religionem catholicam, erga quietem communem, atque utilitatem meæ Regis, meæque nationis; ita lubens adhibebo eas agendi rationes, quas ad obtinendum hunc finem profuturas spero, firmo constituens animo, quod velim Legatis obsequi cum plena submissione, utpote ministris Apostolicæ Sedis, cui summopere me obnoxium agnosco, tum ob acceptam purpuram, tum ob alia singularia beneficia; præsertim vero me humilem, addictum-
„ que

Sæcul XVI.
A.C. 1562.

que famulum Pio Pontifici profiteor.,
 Postea converso ad alteram partem
 sermone, Legatos salutabat Regis no-
 mine, cujus literas ad ipsos, & ad uni-
 versam Synodum datas a se haberi signi-
 ficabat, earumque summam hanc esse,
 „ajebat, Rex vobis ab oculos ponit præ-
 „sentes calamitates sui olim felicissi-
 „mi & gloriosissimi Regni, quibus ta-
 „men malis admovenda ab hoc sacro-
 „sancto Conventu remedia expectaban-
 „tur, prout Oratores exposuerant, atque
 „ipsimet cognoscere potuerunt ex re-
 „sentibus, novisque mandatis, quæ i-
 „psius defero, ab ipso Rege Christianissi-
 „mo, a Matre ejus Regina, illius Fra-
 „tribus, a Rege Navarræ, & ab aliis
 „Regii Consilii proceribus subscripta.
 „Opto ergo ad generalem coetum ad-
 „mitti, ubi ea, quæ mihi injungebantur,
 „exponerem; præcipue vero haud dif-
 „simulare queo excitatum in Germania
 „rumorem, in ea Synodo statutum iri
 „foedus inter omnes catholicos Prin-
 „cipes in Protestantes, qui propterea
 „multis suspencionibus commoti varia in-
 „ter se agitant consilia: Rex vero
 „Galliæ in eo pro suo officio se gessit,
 „satis gnarus, ab hujusmodi foedere
 „foedus alterum haud minus validum
 „inter adversarios excitatum iri, quo in
 „Republica christiana incendium inex-
 „tingui-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

„tinquibile accenderetur. His expo-
tis demum conclusit, quod in hoc jam
functus sit munere Regis nomine, de ce-
tero rerum publicarum curam Orato-
ribus relinquere, ac duntaxat tanquam
Archiepiscopus, & privatus operam
suam Concilio mature conficiendo im-
pendere velit retenta, & aucta, quan-
tum in se esset, Pontificis Romani di-
gnitate.

§. XIII.

*Legatorum responsio ad hunc Car-
dinalis sermonem.*

*Pallav.
Sarp. l. 6.*

Ad hæc Legati nequidem consultatio-
ne inter se habita, Cardinale Man-
tuano verba faciente breviter hunc in
modum responderunt: „Maximopere
„nobis comprobatur electio, qua Rex
„jusque Consilium te ad id elegerant:
„singulari autem lætitia afficimur tuo
„adventu; optima etiam a nobis con-
„cipitur opinio de tuis consiliis, pleni-
„sima vero capitur voluptas ex tua a-
„gendi ratione, necnon summa prope-
„ri successus fiducia ad emolumentum
„Christianæ Republicæ erigimur: un-
„de & nos concordem in te animum
„profitemur etiam ex voluntate Ponti-
„ficis ad exhibendum omnem honorem
„tibi debitum, quocirca tuum etiam ju-
„diciam semper plurimi faciemus.

Ad

Ad alterum vero caput gratum ani- Sæcul. XVI.
 mum testabantur, quod Rex suis illos A.C. 1562.
 literis honorare voluerit: vicissim quo-
 que se non sine animi mærore calami-
 tates, quibus Franciæ Regnum desola-
 tur, percepisse demonstrabant, adden-
 tes, quod brevi tranquillitatem ibi re-
 stitutum iri sperarent, eo potissimum no-
 mine, quod Rex armis suis nuper Ro-
 thomagum recuperasset, atque hanc
 urbem rursus suo subjecisset imperio,
 proin quietem plene redituram confi-
 derent, si pœnarum severitas, qua Fran-
 ciscus I. felicitatis recordationis Princeps
 in Christi perduelles animadverti statue-
 rat, innovaretur.

His addebant: „ Nulli prorsus ratio-
 „ ni innititur rumor de fœdere inter
 „ Principes Catholicos fanciendo contra
 „ Protestantes, cum summus Pontifex
 „ præsens Concilium nonnisi ad concor-
 „ diam in Ecclesia stabiliendam indi-
 „ xerit, ac nobis Legatis suis sedulo in-
 „ junxisset, ut Christianorum unitati
 „ strenuam navaremus operam, simul-
 „ que veram doctrinam comprobari, fal-
 „ samque damnari satageremus. Nos quo-
 „ que in id toto studio incumbemus Lo-
 „ tharingii zelo adjuti, quem etiam ex-
 „ cipimus velut Angelum pacis a Deo
 „ missum, ut nonnullæ dissensionum de-
 „ leantur maculæ, quas in quovis
 multo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„multorum cœtu, qualis est hæc Syno-
„dus, diversa hominum indoles & ju-
„dicatorum varietas inducere solet. De-
„nique si ita lubet, eadem hac die ge-
„neralem habebimus congregationem.
Verum Lotharingius non nisi die vige-
sima tertia Novembris ad publicum con-
fessum admitti poterat.

§. XIV.

*Legati ad sericæ emendationis studium
a Lotharingio admoniti.*

Fallav. l. 19.
c. 1. n. 3.

In primo hoc colloquio cum Legatis ha-
bito circa plura capita prolixi, ac fa-
miliares sermones miscebantur, & qui-
dem Cardinalis hæc præprimis expo-
nebat: „publicæ utilitati minime ex-
„pedire videtur, quod Sedis Apostoli-
„cæ, seu Pontificis dignitas quovis po-
„tento diminuatur, vel restringatur, aut
„in disputationem adducatur; at vero
„ad salutem non solum Galliæ, sed uni-
„versi Christiani orbis aptas ac seve-
„ras leges ad reformandos mores fan-
„cipere, opus erit, abolitis, ubicunque re-
„perirentur, corruptelis; sicut enim po-
„testas seipsa summam venerationem
„obtinere, ac meretur, ita cum usus no-
„xias, malique exempli consecutiones
„retinet, offendit populos, contuma-
„ciam & contemptum parit, ac sedicio-
„nes accendit. Id vero, nisi a Conci-
„lio

„lio perficeretur, bellum in Gallia bre-
 „vi futurum prævideo longe ferocius
 „in Catholicos Ecclesiasticos, quam
 „nunc in Hugonottos geritur; cum
 „illis populis certum sit tum in antiqua
 „fide mori, tum eo quod licentia, morum-
 „que pravitas ac diversitas in dies in
 „Clericis liberius gliscere incipiat: præ-
 „cipua vero querendi ansa præbetur,
 „eo quod interdum beneficia curata in-
 „dignis hominibus Romæ concedantur,
 „nec satis validum huic corruptelæ
 „medium per hoc opponatur, quod li-
 „ceat Episcopis in illos iudicii acta in-
 „struere, eosque beneficiis privare, quan-
 „do quidem id longæ discussioni obno-
 „xium in summi Pontificis dedecus ce-
 „deret, eo quod ipse illos tanquam ido-
 „neos habuerit, atque elegerit.,

Postea converso ad bellum sermone
 sicut Regem Catholicum, Venetos, ac
 Duces Sabaudix, Florentixque ample
 collaudabat ob suppeditata ab illis au-
 xilia, ita ex universali Gallix sensu a-
 criter de Pontifice questus est, cum hic
 suppetias Gallis nonnisi durissimis con-
 ditionibus obstrictas subministrasset, eo-
 quod postulasset Papa, ut prius revoca-
 rentur edicta illic promulgata de An-
 natis, & Præventionibus, ut dicunt,
 simulque assensum Procerum requisisset,
 ad id vero non modo longissimo tem-
 pore

Sæc. XVI.
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562. pore opus haberet, sed plane fieri nequiret, Pontifici autem fati esse deberet, si ejusmodi edicta haud custodirentur: sicuti re ipsa, agebat ille, minime custodiebantur. Verum Legati, cum hæc enarrari ægre ferrent, responderunt, id negotii, quippe quod nec ad fidem, nec ad morum correctionem spectaret, non a Concilio, sed solum a Pontifice peragendum: e contrario Lotharingus Cardinalis semper in eodem persistit, affirmans, sæpe respondisse Pontificem, negotium de Annatis, ac Preventionibus, & quodlibet aliud a se repositum in Synodo, atque hinc ortum fuisse consilium, ut Gallici Præfules mitterentur Tridentum. Ad hæc Legati Pontificis integritatem vindicaturi debebant, Ferrerium Oratorem coram esse, huncque abs dubio adhuc memorescere, quod summus Pontifex eidem, cum Romam a Rege decerneretur, significasset, Annatarum jus adeo certum firmumque esse, ut ipsemet Francia Rex illud comprobare coactus fuerit. Cardinalis vero Lotharingus ipsemet confirmabat, a se die quodam auditum fuisse Regem in Senatu id comprobantem. Denique Lotharingus sermonem suum his verbis absolvit: „Mihî in „animo est, nihil me dicturum, acturum- „que, quod Pontifici, legatisve displicent, „cum

„cum in medium allaturus non sim nisi
 „si honesta, & Galliae salutaria, atque
 „ut certius voluntatis meae argumen-
 „tum edam, exopto, ut mea con-
 „silia, antequam coetui proponentur,
 „legatis innotescant, aut etiam sum-
 „mo Pontifici per quemdam Praesulem
 „eo decernendum. Ad haec Legati
 reponebant, quod ipsemet aptissimum
 concordiae instrumentum inter ipsos, &
 Oratores Gallicos futurus sit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

§. XV.

*Mandata ante ejus discessum Cardinali
 Lotharingio in Gallis data.*

Priusquam de hujus Cardinalis con-
 filiis singularia referamus, haud
 inconsultum erit ea recensere iussa, quae
 ipsi ante suum e Gallis discessum de-
 ferenda committebantur: hæc vero
 contenta fuere in quodam libello, cui
 Carolus IX., Regina ejus Mater, Ale-
 xander illius Frater, qui postea Rex
 creatus Henricus III. nominabatur, nec-
 non Antonius Navarræ Rex, Carolus
 Borbonius Rupis ad Yonem Princeps,
 Franciscus Lotharingus Guisii Dux, &
 Connestabilis Montmorentius subscri-
 pserant, simulque una omnes Lotharin-
 gium Cardinalem, Senonensem Archi-
 episcopum, & Aurelianensem Antisti-
 tem, qui Senatus secretioris Ministri e-
 rant,

Pallav. l. 19.
 c. 1. n. 8.
 & seq.
 Mem. de Con-
 cil. de Trente
 p. 335.

Hist. Eccles. Tom. XLV.

Kk rant,

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

rant, iterum, iterumque rogabant, ut im-
 portunis etiam precibus Synodi Patres
 ad decernendos hosce articulos, ac ce-
 pita inducerent. I. Urgeatur emen-
 datio universalis Ecclesiæ, præcipue au-
 tem Gallicanæ, ut ibidem purior Dei
 cultus, abolitis omnibus superstitioni-
 bus, restauretur, simulque ritus corri-
 gantur, iique omnes abusus, ex quibus
 sub obtentu pietatis populus fraudem
 pati posset: procuretur etiam correctio
 morum in Ecclesiasticis, ut ipsi bona
 suo exemplo aliis præluere valeant.
 præscribatur quoque forma circa ele-
 ctiones ac beneficiorum collationes, ut illa
 deinceps hominibus morum probitate ac
 doctrina comendandis, atque ad Dei Ver-
 bum annuntiandum & Sacramenta ad-
 ministranda dignis & idoneis conferan-
 tur: nihilominus præfatis Præsulibus
 injungebatur, ut initio vehementius
 non urgerent Aulæ Romanæ emenda-
 tionem, ne Pontifex inde fors ad disso-
 vendam Synodum permoveretur, prius-
 quam ex ea fructus ad Religionis Chri-
 stianæ emolumentum necessarii peni-
 tus fuissent collecti, quod tamen da-
 mnium toto studio præprimis fugiendum
 ac declinandum esset.

Cum vero sæpius, dum sermo
 inciderat de Aula Pontificia reforman-
 da, reposuisset Pontifex, idem esse per-
 agen-

agendum in Aulis Principum Laico- Saecul. XVI,
rum, sublatis inde abusibus Ecclesiæ no- A.C. 1562.
xiis, hinc Regem paratum esse dicebant
ad corrigendam Aulam suam, ubi vi-
tium quidpiam reperisset, sed antequam
quidquam decerneretur, ea de re com-
monendus foret, ut sibi rationes suas,
ac præsertim prærogativas, & privile-
gia, pro tot meritis per suos majores im-
petrata producere, simulque proferre li-
ceret omnia ea, quæ ad privatum Re-
gni sui commodum magis congrua cen-
sebit.

Si vero circa emendationem a Re-
ge petitam pertinacius insisteretur, ut
etiam illi articuli, qui Franciæ emen-
dationi magis congruerent, exponeren-
tur, tunc respondendum, satis esse e-
doctum Cardinalem Lotharingium &
Archiepiscopum Senonensem, necnon
Aurelianensem Antistitem, quibus abun-
de compertum esset, quicquid sæpius
in Regio Senatu agitatum fuisset, præci-
pue autem ea, quæ in Comitibus Fran-
cici Regni generalibus Aureliæ cele-
bratis propõlita forent. Hæc ergo Sy-
nodo proponenda, simulque Patres adeo
impense rogandi, ut sancta, & necessa-
ria emendatio inde sperari valeat.

II. Quoad ea, quæ doctrinam respi-
ciunt, primus articulus in Regis Sena-
tu decretus, quem etiam sua Majestas
K k 2 per

Sæcul. XVI. per Oratores urgeri desideravit, ac differ-
A.C. 1562. tis verbis præcepit, in eo consistebat,
 ut usus Calicis in ejus Regno omni-
 busque Provinciis suo Regno subjectis
 necnon in omnibus communitatibus in-
 troduceretur, atque id a Rege ideo pe-
 teretur, eo quod Regiæ suæ Majestati
 certo persuasum esset, quod hoc articulo
 semel concessio non modo plures Pro-
 vinciaë ab Ecclesia Catholica segre-
 gatæ rursus ad illius unitatem rever-
 suræ essent, sed insuper nullum aliud
 remedium magis opportunum cogitari
 posset, vi cujus Regni tumultus sedari,
 ac plurium conscientiarum mor-
 parum anxietas satisfieri valeat, cum ta-
 men absque hac concessione earum tran-
 quillitati consuli posse vix sperari ve-
 leat. Alterum caput erat, ut Laicis om-
 nia Sacramenta in lingua vulgari ad-
 ministrarentur. Tertium, ut duntaxat
 in Ecclesiis Parochialibus, non solum in
 Cathedralibus, Collegiatis & Monasteriis
 Christianæ fidei capita explicarentur juxta
 veterem, sanctamque institutionem, tem-
 pore autem solemnissimum fieri hora con-
 sueta in Ecclesiis Parochialibus Verbum
 Dei prælegeretur, atque exponeretur, &
 Laici fidei doctrinam, necnon parvuli
 Religionis rudimenta edocerentur, ut
 quivis probe imbutus ea calleat, quæ
 credere, & quæ ratio

ratione vitam secundum Deum institue- Sæc. XVI.
 re teneatur. Denique publicæ preces A C. 1562.
 in lingua Gallica persolvantur, ut eæ a
 populo intelligi valeant: cum vero
 plures majorem pietatem, attentionem-
 que experiantur, si Deus per psalmo-
 diæ aliarumque precum cantum in lin-
 gua patria laudetur, hinc Rex, quin ta-
 men quicquam in Ecclesiæ officio lati-
 ne peragi solito immutari velit, efflictim
 rogat, ut intra Missæ solemniam, vel in-
 ter vespervas aliquod temporis indulgea-
 tur, in quo populus ejusmodi Psalmos
 ab Episcopis, seu Ordinariis vel a qui-
 busdam universitatibus aut Conciliis
 Provincialibus approbatos decantare
 valeat.

Postea in libello hæc exposita lege-
 bantur: cum sua Majestas non sine a-
 nimæ sui mœrore recolat, ac suarum par-
 tium esse censeat, ut de impudica Cle-
 ricorum vita, qua nonnulli offensionem
 & etiam populo seductioni sunt, vehe-
 menter queratur, eapropter huic malo
 promptum remedium opponi necessa-
 rium ducit, ac Synodi Patres rogat, ut
 huic morbo, prout magis opportunum
 censuerint, mederi velint: si vero id fieri
 non posset, saltem statuerent, ut Sacer-
 dotes non initiarentur, nisi quorum
 mores ab omni reprehensione sint ex-
 empti, atque ætatem consecuti fuerint,

Sæcul. XVI. quæ ad explenda status sui munia idonea sit. A.C. 1562. Insuper desiderat Majestas sua, ut, quotiescunque occasio tulerit, semper de mediis agatur, quibus tot Provinciæ, & Regna ab Ecclesiæ sinu avulsa revocari possint, ideo ejus Oratores, necnon Franciæ Prælati omnem sollicitudinem impendant, ut in Synodo ipsis omnes illæ legum relaxationes concedantur, quotquot impetrare poterunt, dummodo Dei verbo non sint oppositæ, prouti non adversari videntur Sacerdotum conjugia, usurpata Ecclesiasticorum bonis fruendi indulgentiæ, & plura alia ejusmodi capita, ut præter communem Christianæ Reipublicæ utilitatem etiam suis populis ab Ecclesiæ sejunctis pateat Regis animus ad eorum tranquillitatem propensus: id vero illis significari poterit per ipsorum Ministros, si qui in Synodo præsentibus fuerint.

Si ergo emendatio hoc pacto fuerit stabilita, Rex æque, ac Regina tam suo quam Aurelianensis & Andegavenis Principum fratrum suorum nomine pollicentur, se integra fide acceptaturos, quicquid Synodus catholice decrevisset, & imperasset, neque permissuros, ut in subjectis sibi regionibus, ac regnis quispian degeret, qui ab hac Religione dissentiret.

§. XVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

*Lansaci epistola ad Reginam Matrem
circa Pontificis ægritudinem.*

Paulo ante Lotharingii Cardinalis ingressum ad Tridentinam urbem, summus Pontifex gravi morbo corripiebatur, non sine magna Synodi consternatione, prout Lansacus ad Reginam Matrem his verbis significabat. „Papa „infirma prorsus valetudine utitur, ac „frequentibus morbis affligitur, imo „nunc quoque tam graviter decumbit, „ut de ejus vita vix non conclamatum „videatur. Hæc Majestati vestræ significare volui, ut futuro ejusmodi fato „mature prospici valeat, ac si ita libuerit, mihi significetur, quid, si eum mori „contingeret, me facere oporteret, præcipue, an tunc nos omnem operam, „preces, ac minas impendere deberemus, „ut sic, ne Synodus dissolvatur, præpedire, Patresque ad illam continuandam, „Tridenti detinere possimus, vel utrum „Majestas vestra velit, ut novi Pontificis „Electio vel in Synodo, vel Romæ per „Cardinales fiat, vel potius, an ad evitandum schisma, quod evenire posset, „tam in Synodo, quam Romæ rem ita „urgeri desideret, ut electio usque ad „Concilii finem differatur: quod sane „consultissimum esset, quia exinde Syn-

*Pallav. l. 19.
c. 1. n. 12.
Mémoir.
lettr. de Lansac a la Reine
26. Oct.
p. 313.*

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

„nodum, si continuanda foret, veram
„& liberam credere possemus, &
„quivis ibidem sincere ac juxta con-
„scientiam absque timore, vel persona-
„rum acceptione suam mentem prome-
„mere valeret, unde firmam ac in-
„tegram reformationem sperare posse-
„mus, & quiscunque in Papam eligendus
„foret, haud difficulter Pontificatum una-
„cum salutaribus decretis jamjam sta-
„bilitis (*) acceptaturus esset.,

§. XVII.

(*) Hæc verba Continuator fors de Gallici hujus Oratoris audacia erubescens moderabatur, cum tamen Orator ita ad Regimam scripserit: *Existimo ad evitandum schisma optimum fore, si creatio retardaretur usque ad exitum Concilii, & in ea leges futuro Pontifici præscriberentur, cui postea minime licuisset illam sancitis se subducere. Vide Pallavicinum lib. 18. cap. 17. n. 15. qui postea addit: Et Gallicorum Ministrorum molimina Romanam Aulam haud latuere. Id extra omnem dubitationem est, quod Nichetus Abbas Pontifici significavit, Lotharingium & Franciæ Episcopos, esse se agnos & angelos ostenderent, absque tamen opinamenta ferre, ex quibus laboris plurimum, perturbationisque posset enasci. Ferrariensis quoque Cardinalis Papam monebat, Lotharingium quidem asserere, quod auctoritatem Pontificiam*

§. XVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Joannes Colosvarinus Hungariæ Regis Orator mortuus.

Verum cuncta hæc Lansaci monita erant supervacanea; Pontifex enim depulsa morbi vi pristinæ sanitati restitutus est: ast non idem fatum tulit

Pallav. c. 2. n. 1.

Joan-

ficiam illæsam velit, Legati tamen defensionem molirentur, paratique forent ad obsistendum, Et ad suam auctoritatem adhibendam, eoquod audissent, hunc Cardinalem suosque Parisienses accedere paratis animis ad excitandam quæstionem de prærogativa inter Synodum, ac Pontificem. Ast forte ita Pontificis jura tueri parati erant, ut duntaxat iniquis ejus prætensionibus favere abhorruerint? Num forte Pontificis auctoritas illæsa servatur, si cujusdam mulieris arbitrio, ac imperio relinquitur? quo pacto Et quo loco, si Papam mori contingeret, ipsa mallet electionem haberi, an Romæ, vel Tridentina Concilio, & si Papæ electio differenda suaderetur, ut postea leges futuro Pontifici præscribi possint, a quibus sive per fas, sive per nefas sancitis haud amplius recedere integrum habeat? Haud abs re Continuator Lotharingum tanquam Virum ad quævis audenda projectum, atque dominandi libidine incensum descripsit, §. VIII. eodem autem vitio ceteri quoque Mini-

K k 5

stri

Sæc. XVI.
A.C. 1562

Joannes Colosvarinus natione Hungarus ex Ordine S. Dominici Canadensis Episcopus, qui die decima sexta Novembris Tridenti mortalitatem exiit. Hujus Viri jacturam amare desolebat Dracovitijs Quinqueeclesiensis Episcopus, qui in plurimis negotiis focii sui opera, ac prudentia plurimum utebatur, nunc autem eo sublato se solum Hungariæ Regis Oratorem agere coactum cernebat.

Hic idem Canadensis Episcopus, cum eo complures ex transmontanis, incredibilem spem reponebant in adventu Lotharingii Cardinalis, ut qui superaturus videbatur cuncta obstacula, ipsorum postulationibus hucusque objecta: verum Lotharingius Cardinalis Grassio, quem Brixia exceperat, se aperte significabat, quod longe diversa foveret consilia, idque ipse datis ad Papam literis confirmabat, in quibus grates egit, quod sinistris rumoribus de se Romæ sparsis fidem non adhibuerit, postea Pontifici declarabat, quod illius bene-

Pallav. l. c.

stri laborasse videntur, ut patet ex hac Lanfranci Epistola, in qua adeo temerarie ac imperiose hic loquitur, perinde ac si ab ejus, suæque Nationis imperio tota Synodus, Pontificum electiones, ac totius Ecclesiæ Regimen dependeret.

benevolentiae, ac affectus, quem ejus nomine Grassius testatus fuisset, perpetuam memoriam conservare vellet, ac speraret, se nunquam quicquam attentaturum, quod Sanctitati suae displicere posset, quin potius opere confirmare vellet piam illam opinionem, quam de ejus zelo, atque obsequio concepisset.

§. XVIII.

Pontificis anxietas, Et plures Episcopi ab eo Tridentum missi.

Attamen Pontifex, cum ejusmodi speciosis pollicitationibus nonnisi caute fidendum nosset, omnem adhibere sollicitudinem, atque Lotharingii molimina vigili oculo observare, sibi praevalere non destitit, hancque ob rem plures Italiae Episcopos ad Synodum ablegabat, ut eorum, qui jamjam advenierant, aucto numero frequentiores adessent, qui saltem multitudine sua praevalerent illis, qui Gallorum consiliis suffragari molirentur. Porro de hoc Pontificis timore Insulanus mentionem facit, dum in quadam epistola ad Franciae Regem die vigesima Novembris data haec perscribit: „ Inter alias causas, quae Pontificis mentem immutare, eumque praepedire possent, ne Majestatis vestrae consilia urgeret, haud postrema imo & evidens est illa, quod „ sancti-

Saecul. XVI.
A.C 1562.

Pall. c.2.n.3.

*Lett de l'Isle
au Roi 20.*

Nov.

*Mem. pour
le Concil. an.
1564.p.321.*

Sæcul. XVI. „sanctitas sua in pluribus occasionibus
 A.C. 1562. „declarasset, nil sibi in præsentis rerum
 „vicissitudine magis periculosum, ac
 „Sedi Apostolicæ adversum videri,
 „quam Synodi continuationem: ea
 „propter non ita pridem Viterbiensem
 „Antistitem, & cum eo Ludovicum Au-
 „tinorum Tridentum ablegabat, ut hi
 „Lotharingii Cardinalis mentem expo-
 „nerent, hacque de re ad Papam refer-
 „rent. Plura equidem Viterbiensis an-
 „te discessum suum cum Pontifice con-
 „ferebat circa difficultates, quæ Lotha-
 „ringio obstarent, quo minus propria
 „sua auctoritate disponere posset de Sy-
 „nodi negotiis, aliisque, suam tamen
 „operam pollicitus est Viterbiensis, ut
 „motis novis obstaculis Lotharingum
 „a sui consilii executione præpediret.
 „ Ceterum plures Cardinales, cum
 „summum Pontificem mæsto, ac turbu-
 „lato animo cernerent, eundem sæpe so-
 „lari nitebantur, & aliquando Cardi-
 „nalis Sancti Clementis eundem, ne
 „circa Synodum ultra anxietur, hor-
 „tabatur, affirmans, quod remedium
 „in promptu sit, ac sæpius alia Conci-
 „lia fuisse celebrata notum esset. Pre-
 „terea Bituntinus Episcopus Francis-
 „canus Vir eruditus ob adversam va-
 „letudinem Tridentum venire recusat;
 „sæpius enim lecto decumbere cogitur:
 „ quo

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

„quoniam vero summus Pontifex ne-
 „mini, sive titularis sit Episcopus, sive
 „Coadjutor, imo nequidem illis, qui E-
 „piscopatus suo cesserunt, vel duntaxat
 „in sacris constituti sunt, absentiae ve-
 „niam concedit, ut hac ratione ma-
 „jor suffragiorum numerus habeatur,
 „hinc præfatus Bituntinus discedere
 „coactus est, acceptisque sui itineris li-
 „teris summum Pontificem admonuit,
 „ut animum erigeret, eidem pollici-
 „tus, quod de hostibus suis victoriam
 „esset reportaturus: ad id quoque Pon-
 „tifex eundem incitabat, sæpius præ-
 „sentibus quibusdam Cardinalibus re-
 „petens hæc verba: *victoria.* „ (*)

Idem quoque Orator ad Regem hæc
 perscripserat: „ Pontifex Marcum An-
 „tonium

(*) De hisce nugis Pallavicinus, quem
 Continuator allegat, ne verbulum quidem re-
 fert, minus vero simile quid in probatis aliis
 Scriptoribus invenitur: inde vero elucet, aut
 Principes non raro a suis Oratoribus male af-
 fectis perperam edoceri, aut, quod verius
 censeo, hanc epistolam in Galliis a Calvinistis
 vel aliis ejusdem furfuris hominibus in odium
 summi Pontificis confictam fuisse, atque ideo
 hisce relationibus, quas Galli *Memoires* ap-
 pellant, absque Auctoris nomine editis nullam
 omnino fidem adhibendam.

Sæcul. XVI. „tonium Bobbam, qui Romæ Sabau-
A.C. 1562. „diæ Ducis Oratorem agit, eoquod Au-

„gustæ Prætorix Episcopus esset, Tri-
 „dentum ablegare decreverat: Oduar-
 „dus vero Gualandus Cefenatensis Epi-
 „scopus, cum in quadam arce ætatis
 „tempore unacum Neapolitano Cardi-
 „nale divertisset, maritimo itinere salu-
 „brioris aeris captandi gratia, cum in-
 „firma premeretur valetudine, Pisas in
 „patriam suam reverti statuit, re autem
 „comperta Pontifex veritus, ne hic E-
 „piscopus ad Concilium contenderet,
 „de ejus integritate diffusus inhibuit, ne
 „Tridentum pergeret.,

„ Ceterum Pontifex, prosequeretur
 „hic Orator, de hujus Præfulis fide in-
 „spicandi ansam arripuit ex eo, quod
 „ille intima familiaritate junctus esset
 „Neapolitano Cardinali, nomine Car-
 „sæ, cujus duos Patruos Pius IV. lata
 „judicium sententia extremo supplicio
 „affici jusserat: Carolus enim Caras-
 „Cardinalis in carcere strangulabatur,
 „Joannes vero Palliani Dux capite ple-
 „xus obiit; præterquam quod ipsemet
 „etiam Neapolitanus Cardinalis custo-
 „diæ datus fuisset, atque ad centies
 „mille librarum multam conde-
 „mnatus, demum officio privaretur,
 „haud alterius criminis reus, nisi quod
 „ex

„ex Caraffarum familia descendit-
„set. (*)

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„Insuper Montbelus Marchio hujus
„Cardinalis Parens, ut fama fert, a
„summo Pontifice, qui tum adhuc Car-
„dinalis Medicæus erat, subscriptam
„conservabat chartam, in qua hujus
„Marchionis fratri quamdam pecunia-
„rum summam promiserat, si in con-
„clavi suum ei suffragium daret; alius
„etiam Cardinalis Gallus mihi nar-
„ravit, quod illi, qui Pontifici a secre-
„toribus consiliis sunt, exoptarent, ut
„Calvinistæ bellum in Francia victrici-
„bus armis prosequerentur, ut exinde
„Synodi dissolutio obtineri posset, cum
„Curia Romana ejusmodi Concilium
„magis abhorreat, quam omnia cetera
„mala

(*) Dum Continuator prius de Paulo IV.
ex Caraffarum familia orto sermonem habuit,
calamus eum defecerat, ut fat atris coloribus
Caraffarum Nepotum crudelitates, & vitia de-
pingeret, nunc vero cum Pius IV. justam de
iis ultionem acceperat, jam altera vice eun-
dem tanquam injustum vindicem, ac judicem
sugillat. Ita autem comparati sunt calumnia-
tores, ut in illis, quibus infensi sunt, vitia ex-
aggerent, & virtutes carpant, ac sinistra sua
interpretatione depravent.

Sæcul. XVI. „mala, quæ totam Christianorum Rem-
 A.C. 1562. „publicam affligunt. (*)

§. XIX.

*Viterbiensis Episcopus a Papa ad
 Synodum ablegatus.*

Tandem Insulanus suam absolvens e-
 pistolam hæc subjunxit. „Hic Vi-
 „terbiensis Episcopus, quem summus
 „Pontifex ad Synodum decrevit, ut in-
 „pra memini, erat Sebastianus Gual-
 „terius, qui olim in Francia Sedis A-
 „postolicæ Nuntius parum se de Gal-
 „lica Natione meritum reddebat, quia
 „Nationis suæ genium secutus, quod
 „Regina in castigandis hæreticis remif-
 „sius ageret, vehementius querebatur,
 „ac palam obsistebat Gallorum postula-
 „tionibus, quæ Ultramontanorum opi-
 „nionibus adversantur; quia vero ar-
 „ctam cum Lotharingio Cardinale, dum
 „in Francia morabatur, amicitiam con-
 „traxerat, hinc sperandum, quod eum
 „ad sua studia pertracturus, atque ad ar-
 „bitrium suum inclinaturus esset.

Idem

(*) Quis quæso tam atroces calumnies
 atque evidentia mendacia a Christiano O-
 ratore ad Regem Christianissimum perscripta
 credat, unde Continuator caute nullum alle-
 gabat auctorem, ut major ei sit fingendi li-
 bertas.

Idem quoque Lanfacus ad Reginam Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
 scripsit his verbis: „Viterbiensis, qui
 „se hic loci in omnibus Franciæ ne-
 „gotia concernentibus versatissimum,
 „& maxime expertum jactitat. sat a-
 „perte declarabat, quod ingenti Car-
 „dinalem Lotharingium moderandi
 „dexteritate polleat, nulloque negotio
 „cuncta ejus consilia detegere possit,
 „hancque ob rem a Papa Tridentum
 „decretus fuisset: inter alia vero me-
 „dia, quibus hunc Cardinalem, prout
 „sibi pollicetur, ad sua studia pertrahe-
 „re tentabit, id potissimum fore ajebat
 „(prout mihi ante ejus discessum fuit
 „narratum) quod magnum Monacho-
 „rum, ac pertinacium Theologorum nu-
 „merum eidem opponere vellet, qui
 „Lotharingii Cardinalis propositiones
 „impugnarent, si veró eum horum
 „insultibus fractum viderit, eundem so-
 „lari, atque in hos indignationem ex-
 „erere velit. „ Ceterum Pontifex
 Gualterio Antonium Antinorum tan-
 quam socium adjunxerat, specietenus
 quidem, ut Lotharingium Cardina-
 lem suo comitatu honoraret, re tamen
 ipsa, ut exploratoris vices ageret, prout
 ipsemet in quadam epistola ad Regem
 scripta fatetur. „ Pontifex, inquit ille,
 „octo abhinc diebus Viterbiensem E-
 „piscopum submiit, ut mihi semper præ-
Hist. Eccles. Tom. XLV. L1 „sens

Sæcul. XVI. „sens adfit, & ni fallor, ut meas actio-
 nes exploret: certus autem sum, quod
 „nihil de me comperiat, quod ejus De-
 „mino displicere possiet, aut quo mea
 „consilia Pontifici nota fierent, nisi for-
 „te, dum me differentem audiet, exire
 „de colligere possit, quod Deus pariter
 „admodum me ingenii dotibus ornare
 „voluerit.,

§. XX.

Viterbiensis Episcopus Tridenti Lotharingium Cardinalem invisens.

Pall. l. 19. c. 2. n. 5. Advenerat Viterbiensis Episcopus Tri-
 dentum die vigesima secunda No-
 vembris, moxque Legatis Cardinalis
 Borromæi literas tradidit, quibus ad-
 ventus sui ratio exponebatur: postea
 Cardinalem Lotharingium ex febris leto
 decumbentem visum ibat, eique Ponti-
 ficis epistolam affectu, ac comitate ple-
 nam porrexit: nec minus officiosam
 Gualterius detulit ad utrumque Orato-
 rem Lansacum & Ferrerium, qui ar-
 gumento sat luculento in hac agendi ra-
 tione Romanæ Curiaë sagacitatem ex-
 plorasse sibi videbatur. Verum Gual-
 terius hujus consilii probe gnarus sibi
 quidem literas esse traditas, Cardinali
 significabat, eas vero absque ejus venia
 se nunquam redditurum Oratoribus
 spondebat. Cardinalis collaudata Præ-
 salis

*Mem. dans la
 lettr. de Lan-
 sac a l'Isle
 26. Nov.
 p. 641.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

fulis prudentia eidem, ut statim literas Oratoribus redderet, auctor exstitit, parique calliditate cum Gualterio agens, ingentem lætitiã specietenus præseferibat, eoquod, ut inquiebat ipse, amicum reperisset, quocum libere, ac sincere conferre posset, eodemque temporis momento simulata fiducia exponebat, quod juste quereretur de sinistra opinione adversus se Romæ concepta ac divulgata, perinde ac si contra Synodum adversaria moliretur. Ad hæc autem Gualterius reposuit, quod Pontifex hisce rumoribus nunquam fidem adhibuerit, nec unquam; de ejus consiliis, ac doctrina sinistra suspitionis umbram habuerit.

§. XXI.

Hujus Episcopi colloquium cum Cardinale Lotharingio.

Cum hic Præsul sermonem ad Synodum inflecteret, Cardinalem his verbis alloquebatur: „infausto prorsus fato perturbatum agendi modum, in Concilio reperio, cum tempus inutilibus teratur disputationibus, omnino alienis a necessitatibus Ecclesiæ, necnon oppositis festinæ rerum executioni, quam omnes Christiani Orbis Provinciæ tanquam summe necessariam respiciunt, votisque ardentissimis

Pallav. l. c. epist. Gualt. ad Borr. 29. Nov.

L 1 2

„expe-

Sæcul. XVI. „expetunt. „ Ad hæc Cardinalis vir
A.C. 1562. prudens ac circumspæctus Præfuli hæc
 in responsis dedit, id Præfuhum ope-
 ra, non mea conficiendum est, cum in
 hac Synodo nonnisi privati hominis, o-
 mnique auctoritate destituti vices a-
 gam. Verum mox Gualterius repo-
 suit: in ea re simul omnes Legati tan-
 tum efficere nequeunt, quantum sola
 Eminentia vestra valet, non enim aliunde
 Hispanis ad concitandos tumultus a-
 nimus fuit additus, nisi a concepta spe,
 fore, ut Lotharingius unacum Gallie
 Episcopis etiam Nationis Hispanice
 Prælati suffragaturus esset, indeque hi
 majorem auctoritatem in suis Dicecesi-
 bus adepturi forent: quamprimum ita-
 que se a vestra Eminentia derelictos
 cernent, ad obsequium, unde digressi,
 mox redibunt. Tum Præsul a Cardina-
 nale petiit, ac pene rei promissionem
 obtinuit, ut, cum primum is publice
 verba in conventu faceret, Patres hor-
 taretur, ut ea duntaxat argumenta a-
 gitare vellent, quæ magis ad Synodi
 decorem, solidiusque ad salutem popu-
 lorum conducerent.

§. XXII.

*Cardinalis Propositiones ad Viter-
 biensem Episcopum.*

Per-

Perceptis hisce Cardinalis Lotharingus, se promissa sua operis constantia comprobaturum, Præsuli spondebat, subjungens, se abfuturum ab illis Patrum conventibus, in quibus forte inutilibus disputationibus tempus insumi cerneret: his quoque adjecit, quod mandata sibi commissa Gualterio communicare velit, eo quod existimaret, in illis quædam contineri, quæ nec congrua, nec decencia viderentur: de cetero autem ei significare vellet, qua ratione Pontifex Gallis satisfacere posset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Pallav. l. c.

Itaque hanc in rem proposuit Lotharingus, I. sedate Canones firmentur, dieque vigesimo sexto Novembris jam præstituto Sessio celebraretur. II. Præsides habito conventu solum Lotharingium pro Ecclesia Gallicana advocarent, duos vero Præsules Hispanos pro Hispana, & quem ipsi Præsides vellent, pro Italica, qui concordia opera eos Canones conficerent: tunc mihi, prosequeretur Cardinalis, polliceor, huic consilio Præsules Gallos non repugnatos, idemque adhibita dexteritate debita de reliquis nationibus esse sperandum censeo. Postea retulit, se assidue ab Hispanis urgeri, ut se cum illis conjungeret; eosdem etiam promississe affirmabat, quod omnes suas sententias

Ll 3

in

Sæcul. XVI. in cœtu proferendas eidem communi-
 A.C. 1562. care vellent.

§. XXIII.

*Disceptatio circa Sedis prærogati-
 vam inter Claravallensem, &
 Cassinenses Abbates.*

Pallav. l. 19. s. 2. n. 6. Cum autem Lotharingius diuturniori morbo premeretur, ipse petebat, ut ob dubiam recuperandæ valetudinis suæ spem nequaquam diutius a Congregationibus vacaretur: prout etiam factum est. Interea in Conventu die decima sexta Novembris celebrato Episcopis nuper adventantibus, aliisque suæ destinabantur sedes: inde vero quædam exoriebatur dissensio inter Abbates ex Congregatione Montis Cassini, & inter Hieronymum de Souchier natione Gallum, Abbatem Claravallensem, qui purpura a novo Pontifice decoratus fuit, quamvis hanc dignitatem bina vice recusasset. Hic Claravallensis Abbas jus suum hac ratione comprobare nitebatur, asserens, quod Cassinenses Abbates reipsa non essent ex Ordine S. Benedicti, sed duntaxat ex Congregatione S. Justinæ, quæ non ita pridem ab Eugenio IV. confirmata fuisset, proin antiquior foret Claravallensis Ordo: insuper plurâ alia allegabat

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

bat privilegia Abbatibus Claravallensibus concessa, quibus tamen Montis Cassini Abbates nunquam decorati fuissent. Verum hi reponebant, quod hæc instituti diversitas ætate Eugenii facta nonnisi paucos concernat, præcipui tamen semper Divi Benedicti regulam retinissent, ex quibus etiam ceteri suam originem traherent. Cum autem ad decidendam hanc litem utriusque partis privilegia, & Constitutiones Apostolicas consulere oportuisset, hacque ratione plurimum temporis ac laboris fuisset impensum, hinc Montis Cassini Abbates ultro hunc honorem Claravallensi Abbati deferre statuebant, ea tamen conditione, ut hic eos tanquam veros unius Parentis Filios agnosceret.

In ceteris autem Patrum conventibus nonnihil lentius procedebatur, cum Lotharingii Cardinalis ratio haberetur, qui nondum illis interesse poterat, ejus tamen præsentia saltem verbotenus plurimum desideraretur. (*)

L 1 4 §. XXIV.

(*) Aliam causam assignat Pallavicinus dicens; *equod Lotharingius optaret interesse, non odioso fastu, sed grato modestiæ nomine, ut sibi voluptatem, utilitatemque caperet ex aliena doctrina.*

Sæcul. XVI.

A.C. 567.

§. XXIV.

Seripandus Legatus Lotharingum
Cardinalem invisens.

*Pallav c. 2.
n. 7. ex lit.
Legat. ad
Borr. 22.
Novembr.*

Eadem die, qua Gualterius Lotharingum visum ibat, Seripandus quoque eundem Legatorum sociorum suorum nomine officiosa salutatione honorabat, ut illum de initio, progressu, ac præsentis Concilii Tridentini statu edoceret: cum vero sermonem converteret ad controversiam, quæ tum circa septimum Canonem cum magna animorum contentione agitabatur, rem omnem exposuit, rogavitque, ut suam desuper mentem aperiret. Cardinalis pacis studiosus, ut suam erga Papam venerationem testatam redderet, Seripando idem, quod antea Gualterio, consilium suggerebat, asserens, ex qualibet Natione duos Suffragatores esse seligendos. Attamen hoc consilium minime Seripando arridebat; quapropter Cardinali hæc in responsis dabat: „vestræ Eminentia nondum satis com-
„perta sunt ea hominum ingenia, quibuscum res agenda; non enim adeo
„facile, ut creditur, flecti possunt, si-
„que huic proposito consilio insisteretur,
„certe nunquam res ad exitum deduci
„poterit:„ re ipsa tamen Seripandus veram rationem suppresserat; displicuit

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

cuit enim eidem, quod hoc pacto aperiretur aditus ad res per Nationum suffragia decidendas, id tamen valde nocivum credebatur. Postea Seripandus de habito colloquio rationem Legatis reddebat, qui consultatione desuper habita Seripandum ad Cardinalem remittebant, ut eidem exponeret, quod ipsius consilium nullatenus acceptari queat, minus vero præfatam quæstionem penitus silentio suppressere conveniat, prout etiam idem Lotharingus consulebat.

§. XXV.

Lotharingii votum de suis postulatis Pontifici communicandis.

Insuper Lotharingus in eodem colloquio, quod cum Seripando habebat, eidem consilium suum jam antea Legatis communicatum iterato proposuit, dicens, omnes Reformationis a se petitæ articulos Pontifici esse communicandos, hancque in rem ex Episcopis quempiam esse ablegandum, qui Tridentum redux de singulis Papæ mentem referret, priusquam res in Congregatione proponeretur. Verum Legati ad hæc nihil reponentes, prius de Pontificis voluntate certiores fieri desiderabant, multo minus vero propensi videbantur ad seligendum Episcopum, qui

L 1 5

Ro-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

Roman decerneretur: nihilominus tamen datis literis Borromæo Cardinali proposuerunt aut Archiepiscopum Lancianensem ad hujusmodi munus obeundum alias adhibitum, aut Hydruntinum, utpote dotibus præstantem, & ad Sedis Apostolicæ obsequia paratissimum. Insuper proponebant Grassium Montis-Falisci Episcopum, quem Papis ad eundem Lotharingium antea decreverat. Denique nominabatur Viterbiensis Præsul, quamquam negotium, cuius gratia missus fuerat, ejus præsentiam Tridenti utiliorem redderet: tandem vero conveniebant, Vicecomitem Ventimilliensem Episcopum omnium maxime idoneum censer, ob singularem Pontificis in eo fiduciam, qua opus erat in homine, qui auditurus, delaturusque esset ex ore Pontificis intimos ejusdem sensus; de eo autem merito sperandum foret, quod hoc munus cum omni fide, ac integritate expleturus esset.

§. XXVI.

*Cardinalis Lotharingius in generali
Congregatione exceptus.*

Pallav. c. 3.
1562. I.

Die vigesima tertia Novembris Cardinalis Lotharingius prima vice in congregatione Generali comparuit, ubi omnes Prælati numero ducenti octodecim,

cim, necnon cuncti Principum Orato-
 res convenerant, præter infinitam po-
 puli multitudinem spectaculi novitate
 accitam: verum hi exteri recedere ju-
 bebantur: postea vero ille, qui Synodo
 a secretis erat, præprimis ea, quæ Lo-
 tharingius proponere destinaret, post-
 modum autem epistolæ Regiæ exem-
 plum, necnon responsum desuper dan-
 dum proposuit.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

Itaque Hierosolymitanus Patriarcha,
 Archiepiscopi Hydruntinus, & Grana-
 tensis, Episcopi Cavenfis, Conimbri-
 censis, Viterbiensis, & Salmanticensis
 decernebantur, ut Cardinalem e suis
 ædibus ad confessum deducerent: quo
 adventante mox Legati e suis sedibus
 per gradus descendentes, illum ingre-
 dientem exceperunt: tum confidenti-
 bus Patribus, immensa populi corona
 circumdati in medium progressi sunt
 Oratores Gallicani, & Lanfacus, ut-
 pote ceteris dignior, literas regias red-
 didit Gallice scriptas, & Latine versas,
 quo idiomate recitatæ sunt integræ ab
 Episcopo, qui a secretis erat. Gallica
 inscriptio erat hæc: *Sanctissimis, ac
 Reverendissimis Patribus Tridenti con-
 gregatis ad Sanctæ Synodi celebrationem:*
 sed clarius latine ita dicebatur: *Con-
 gregatis in Sacrosancta Synodo Tridentina.*

§. XXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. XXVII.

Regis epistola a Lansaco Patribus tradita.

In hisce literis Galliarum Rex hæc exposuit: *Etsi ea fuerit Dei Optimi Maximi voluntas, ut jam inde ab inveterate nos ad tanti hujus Regni imperium vocarit, ejusque altæ & infinitæ judiciorum providentiæ placuerit, nobis committere hujus principatus initia, adeo tumultuum, & civilium bellorum plena, ut nulla illius vel minima provincia inveniri possit, quæ hisce calamitatibus carat; oculos tamen pueritiæ nostræ hæc ipsa divina bonitas ita aperuit, ut tantorum malorum causam facile judicaverimus, non aliunde, quam ex varia & multiplici de Religione opinione, qua populus noster imbutus est, processisse: cognovimus etiam hujus gravissimi morbi remedium, non ab hominum prudentia esse petendum, sed a Deo vivo, & inexhausto misericordiarum fonte, qui requirentibus eum ex animo, sui que nominis tantam gloriam & honorem spectantibus, nunquam defatigatur, beneficia & gratias conferre. Itaque eodem Spiritu ducti, cum primum Regia coronati sumus insigniti, nihil nobis magis fuit in votis, quam cum Majorum nostrorum exemplo, ad Sacros Conventus, velut ad ejus ægritudinis unicum, & præsens medicamentum*

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

dicamen confugere, tum in bonæ memoriæ Francisci II. Regis Domini, & Fratris nostri amantissimi vestigiis permanere, & quanto potuimus studio, & diligentia hanc ipsam, in quam nunc ex variis orbis terrarum partibus convenistis, celeberrimam Synodum expetere. Ac illud quidem gravissime tulimus, nos, qui hujus instituti adeo pii & optati auctores fuimus, non tamen efficere potuisse, ut Prælati nostri in hoc Generale Concilium primi convenirent, sed hujusmodi dilationis causam, & alii omnes, & vos ipsi necessariam judicastis: cumque amantissimum, & dilectissimum consobrinum nostrum Cardinalem Lotharingium, Archiepiscopum, Ducem Remensem, primum Franciæ Parentem, inque illius comitatu aliquot Regni nostri Episcopos, & Abbates adventare videatis, nihil quidem a nobis cum simulatione, aut exquisitis diffugiis, sed omnia serio, pieque, & ex sancta voluntate gesta esse facile existimabitis. Causa autem, Sanctissimi Patres, propter quam Consobrinum nostrum ad vos misimus, duplex est, altera quod ille muneris sui non oblitus, quique optime novit, quid Ecclesiastica professio, horumque temporum calamitas ab eo, sui que Ordinis hominibus requirat, sæpius & vehementer istuc eundi facultatem a nobis petierit, & optaverit: altera, quod ille a teneris annis ad secretiora no-

stra

Sæcul. XVI
A.C. 1562

stra Consilia evocatus, & in Regni nostri
gravissimorum negotiorum administratione
educatus, optime novit fontes, & origi-
nes tumultuum nostrorum, & quibus re-
bus egeamus, ut sedari possint, etiam in
mandatis dedimus ea apud vos exponere,
& quæ a prudentia vestra & amore pa-
terno remedia jure expectari possunt, non
solum propter Regni nostri tranquillita-
tem, sed etiam totius Reipublicæ Chris-
tianæ Salutem a vobis impetrare: cum
enim præ oculis, quod est veri & puri
Dei cultus semel habuerimus, poterimus
tandem ad laudatam illam, & adeo ex-
petitam rerum emendationem, quæ tempo-
rum injuria & hominum malitia funditus
perierat, pervenire, ac in honorem &
exaltationem Divini nominis, unitatem
Ecclesiæ, antiqua illa Catholice Ecclesiæ
Majestas, & integritas splendebit, quam
rem velut munere vestro dignam universi
orbis jure suo a vobis expetit, & expe-
rit, eamque si feceritis, accedet vobis
credibilis remuneratio a manu illius
regali, qui se harum rerum liberalissimum
remuneratorem profitetur. Reges item &
Respublicæ, Principesque omnes vobis
merito devinctos existimabunt, vestramque
pietatem magna cum vestra laude postu-
tati commendabunt. Et quoniam eo
ingenio Consobrinus noster, ut ea planè
noverit, quæ nos speciatim scire cupimus,

obsecramus vos, Patres Sanctissimi, illum ut equo & lubenti animo audiatis, eamque illi fidem, quam nobis, si istic essemus, adhibeatis. Petentes interea a Deo Optimo Maximo, ut vos suo praesidio, nobis, totique orbi Christiano, diutius conservare dignetur. Datum Rouvillæ die septima Octobris anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. XXVIII.

Lotharingii Cardinalis oratio in pleno Patrum confesso habita.

Perlectis hisce Regis literis Lotharingius Cardinalis non sine ingenti eloquentia, ac verborum lepore orationem omnibus Auditoribus pergratam habebat, cujus tenor erat sequens: Illustriissimi Domini Domini, Reverendissimi Episcopi. Christianissimus Rex Carolus, Reginae Matris Christianissimæ auctoritate, ac præcipue Regis Navarræ assensu, procerumque omnium conscriptorum consilio, has literas, quæ modo perlectæ sunt, detrevit, mihiq; ad vos perferendas dedit, quarum præcipua ea capita, quæ majorem ex me explicationem desiderant, pro ea, quæ mihi credita est, fide, explicabo, quam brevissime potero. Hæc ut meministis, statim in initio Regni illius nobilissimi, amplissimi, ac florentissimi quondam, summæque erga Regem fidei, & observantia,

Pallav. t. 3.
num. 3.
Mem. p. 328.
Raynald.
hoc ann.
num. 10.
Psal. p. 333.

Sæcul. XV.
A. C. 1562.

tice, statum & conditionem testantur; dicam uno verbo, non sine incredibili dolore, fuimus Galli, fuit ingens gloria Francorum, hæc rerum omnium, clarissimi Oratores, sunt vicissitudines. Manus Domini tetigit nos, Viri, Patres, & Fratres: hoc nobis justum infra suum iudicium, provocaverunt corrupti omnium Oratorum mores, ac Ecclesiastica collapsa disciplina: has turbas excitarunt hæereses non suppressæ, & a Domino Deo nostro instituta remedia tamdiu neglecta: hinc illæ lacrimæ, ac per totum Regnum dissidia, odiæ, rapinæ, bella intestina & plusquam civilia: luctus ubique, ubique dolor, & plurima mortis imago, nec Sacrosanctis Dei templis parcitur, Presbyteri, & Religiosi viri ad aras usque, quas amplectantur morientes, trucidantur. Visibilia Sacramentorum signa pedibus conculcantur; passim erecti apparent rogi ex omni genere Ecclesiasticorum ornamentorum, accensa ex imaginibus dissectis pyra, additis non solum omnium Ecclesiarum, sed antiquissimarum Bibliothecarum libris: nec quicquam ex chartis publicis & instrumentis, quæ ad dotationem pertinent, reservatur. Sanctorum reliquiæ ruptis altaribus in cineres rediguntur, quæ supersunt in profluentem post hæc projectæ; horresco referens, nec a Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum,

porum, & sine discrimine passim aliorum Sæcul. XVI.
 omnium Sepulcris abstinetur, eorum ma- A.C. 1562
 xime, qui de Ecclesia Dei bene meriti per
 monumenta reperiuntur. Nomen Domini
 ubique blasphematur, Spiritus mendacii
 in ore omnium est, qui falso verbi Dei
 ministerium usurparunt, atque ita expul-
 sis pastoribus, alienæ ovis custos, sur,
 & latro in ovile ascendit. (*) Postremo,
 quod longe omnium est gravissimum, jure,
 & Sacro-sanctum Sacrificium apud eos
 ubique cessat, quod intermissum, quan-
 tam ruinam secum adferat, ac quantam
 Regibus jacturam & meministis, Viri
 doctissimi, ex Prophetarum oraculis, &
 experientia jam in magnis imperiis, flo-
 rentissimis Regnis, amplissimisque Provin-
 ciis didicistis, atque in Gallia nunc aspi-
 citis. Regis enim Majestas minuitur, im-
 peria detrectantur, non modo vectigalia,
 sed proventus etiam negantur, jura omnia,
 & leges silent, quilibet vindictam, quam
 exercet, ex privato odio metitur, ad de-
 fectionem populus excitatur, & excussio
 Mo-

(*) Ecce! veram Protestantici Spiritus,
 sectæque ideam, quam testis oculatus delinea-
 vit: quis autem credat, hanc Ecclesiam, quæ
 ejusmodi violentiis erigitur, esse Christi Ec-
 clesiam, ejusque Spiritu regi.

Sæcul. XVI. *Monarchiæ, quod appellant, jugo, an-*
A.C. 1562. *chia in concionibus publice proponitur.*
Hæc omnia apud vos cogitate, clarissimi
Oratores, & quod in Gallia vobis nunc
videre otiosis licet, sera nimis penitentia
experiemini, si modo suo Gallia ex vici-
nio vos in ruinam trahat. Sed quid vos,
Sanctissimi Episcopi, detineo, aut dicitur
affligo, supersunt tanto huic malo nostro
opportuna remedia; habemus enim magna
Spei pupillum Regem, non tam Regni ex
legitima Successione Monarcham, quam
Religionis & virtutum omnium avitarum
hæredem, quem Pater Henricus II. &
Avus Franciscus I. excitat, & in quo jam
Francisci II. Fratris demortui omnis ge-
neris virtutum igniculi relucet, nec in-
sunt Catharinæ viduæ Reginæ, & Na-
varræ Regis optima consilia, & infra
procerum vires; nullis opibus parcam,
undique auxiliares copie comparantur,
fitque via vi, sed in nostra viscera, quan-
tumcunque victrix dextera sit, ferrum con-
vertitur: eruuntur opes, & fit lamenta-
bile Regnum; jamque nulla ad sedandum
tantos tumultus aptior via, nullum magis
præsentaneum remedium, quam quod ad
hac Sacrosancta Universalis Ecclesie le-
gitime in Spiritu Sancto congregata Sy-
nodo expectatur. Huc nos Majorum exem-
pla trahunt, hoc Dei verbum docet, ac
ut supremus ex promissis suis, quæ nun-
quam

quam fecit irrita, imperat, atque ita de-
 mum ex hoc loco pax Dei, quæ exupe-
 rat omnem sensum, expectatur; templum
 enim Dei Sanctum est, quod sumus, nos
 viri fratres, & quamvis divisiones gratia-
 rum sint, omnes tamen nos in uno Spiri-
 tu, qui in Nomine Domini nostri Jesu
 Christi congregati sumus, quod & dicere
 necesse est, prout Spiritus Sanctus dabit
 eloqui, quæ omnia ut magis scire potestis,
 ad bene, beateque decernendum ex divino
 præscripto sunt omnino necessaria: hæc
 omnia Christianissimus Rex cum sibi satis
 persuadeat, nec quicquam alienum a nobis
 expectet, duo tamen præcipua sunt ea,
 de quibus vos admonet pro sua in hanc
 Synodum observantia, & pro ea, quam
 sentit ex his de Religione dissidiis, summa
 molestia. Primum itaque a vobis postu-
 lat, ut quantum fieri poterit, nova dissi-
 dia vitemus, novas inquam & infructuo-
 sas quæstiones relinquamus, ac demum
 quantum nobis licebit, nitamur, ut Prin-
 cipes, ac Provinciæ omnes ab armis, Re-
 ligionis ergo abstineant. Ab hoc deside-
 rio excitandorum bellorum prorsus nos
 alienos oportet, ne qui ex nobis discesse-
 runt, & se ab Ecclesia Dei præciderunt,
 existiment, magis hoc Conventu Princi-
 pes ad arma provocari, & societates &
 fœdera iniri ad bellum quantumcunque sa-
 crum, quam de universali omnium animo-

Sæcul. XVI.

A. C. 1562.

Sæcul. XVI. rum in unam fidem reconciliatione decerni.
A. C. 1562. Solliciti ante omnia servare unitatem
 eis, si quid vero in ea sententia peccatum
 est, parcite quæso, Patres amplissimi. Hen-
 ricus II. Pater author fuit pacis, quæ in
 Christiano orbe tam feliciter hæcenus ser-
 vatur, eam quasi testamento paulo post
 moriens filio Francisco II. Regi commen-
 davit, hanc Franciscus frater, si nobis
 tam cito ereptus non fuisset, magna pru-
 dentia retinere conabatur. Pupillo & vi-
 duæ iniquissimas semper turbas & bella
 intestina Rex, & Regina Mater valde
 pertimuerunt, & pacatos subditorum om-
 nium animos. ne quies publica interturba-
 retur, summa prudentia, ac ut ætatem &
 sexum decet, perpetuo exoptarunt, quod
 etiamsi, ut negari non potest, infelicitè
 successit, infeliciores belli eventus sunt per-
 timescendi: ne si omnes in eodem periculo
 versentur, eadem & tempestate acti, nemo
 periclitantes adjuvet, & sic unum, idemque
 naufragium faciamus. Summam propter
 ea rationem haberi desiderat eorum, qui
 lapsi sunt, ut & illis, quantum ex Deo
 poterimus, condonemus, quibus & nos in-
 micos esse liceat, sed usque ad aras. Al-
 terum legationis meæ caput est, quod jam
 a principio Regi meo Christianissimo cum
 Serenissimo Imperatore, & reliquis Regi-
 bus & Principibus viris, quorum hic Ora-
 tores viros clarissimos habetis, fuit com-
 mune,

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

munē, nempe ut de reformatione, & morum, & Ecclesiasticæ disciplinæ omnino discernatur. De hac iterum, iterumque admonet, ad eam serio amplectendam, qua potest observantia, hortatur, & per Dominum nostrum Jesum Christum, qui iudicaturus est vivos, & mortuos, obtestatur. Si Ecclesiæ auctoritatem integram esse vultis, si ejus dignitatem conservare, si jam inclinatum nobilissimum Gallicæ Regnum retineri posse judicatis, nec vero ex vestris commodis nostra incommoda metiri æquum est, si enim Universa hæc Italia, si Hispania sedem adhuc, & clavum tenet, gratulamur vobis Patres Illustrissimi, nos puppi excidimus, & vix supremo digito gubernacula retinemus: hic vobis liceat jure vestro causas a nobis tantæ tempestatis exquirere, quem accusabimus Coepiscopi Fratres? quem tanti mali authorem faciemus? memini, quid velitis, nec memoria excidit vestrum de ea re commune omnium judicium. Hoc non sine innato pudore, & magna antea vitæ pœnitentia dicere me oportet, propter nos tempestas hæc orta est, viri Patres, propterea mittere nos in mare, quid addam amplius, habetis confitentes reos, in eos, ut libet animadvertite. Nunc judicium incipiat a domo Dei, & mundentur, qui ferunt *vasa Domini*: attendamus nobis, & universo gregi, quiescamus perverse agere, &

Mm 3 disca-

Sæcul. XVI.
A.C. 162.

discamus bene agere; imo potius tu misericors, & bone Deus per viscera misericordiae tuæ, attende, placare, & adauge in nobis fidem, ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus tibi. Nunc viribus opus est, Patres, nunc pectore firmo, sed vereor illustrissimi Domini & Reverendissimi Episcopi, ne nimis importune agam, non est enim sponte currentibus addendum calcar, finem igitur faciam, est enim mea expedita a Rege legatio, sed quod scire vos amplius oportebit, hæc omnia Clarissimi Regii Oratores curabunt: ego vero, & mecum una qui ex Gallia advenerunt, Reverendissimi Episcopi in hac Universalis Ecclesie Sacro-sancta Synodo, testamur Beatissimo Papæ Domino Pio Pontifici Maximo, post Deum in perpetuum subditos esse velle: ejus enim nos in terris Primatum super omnes Ecclesias agnoscimus, cujus nunquam imperia detrectabimus, Ecclesie autem Catholice, ac Sacrae Generalis Synodi decreta veneramur, vobis Illustrissimi, & Reverendissimi Legati fasces submittimus, Sanctissimi Episcopis dexteris societatis offerimus, & clarissimos Oratores, testes sententiarum nostrarum huc adesse vehementer gratulamur, ut Spiritu Sancto Duce in omnibus, per omnia, & semper honorificetur Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi.

§. XXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.*Cardinalis Mantuani responsum.*Pallav. c. 3.
num. 5.

Ad hunc sermonem Cardinalis Mantuanus ita respondit: Illustrissime & Reverendissime Domine, inter ceteras Christianæ Reipublicæ misérias, & calamitates, quarum memoriam Sacra Synodus neque deponere, neque sine lacrimis repetere unquam potest, nulla ejus animam cura, magis anxium, & sollicitum semper habuit, quam seditiones & bellici tumultus, qui Religionis causa in florentissimo Galliarum Regno commoti ac concitati dicerentur, nam cum omni tempore, Regnum illud firmissimum Catholicæ veritatis præsidium & columnen jure optimo habitum fuerit, cogebatur Sancta Synodus incredibili dolore affici, cum intelligeret ejusmodi factam esse rerum commutationem, ut non in una, aut altera, sed in pluribus ejus Provinciis omnia fere impietas, cædes, vastitas occupasse videretur: accedebat præterea ad augendam doloris acerbitatem, quod nuntiabatur, nobilissimos gentis vestræ proceres, quod scilicet alii Orthodoxam fidem labefactatam & everSAM, alii defensam & conservatam maxime cuperent, tanto ardore ad arma concurrisse, quanto olim Christianissimi Reges vestri totius Gallici nominis consensu, pro Christiana Religione propaganda,

M m 4 da,

Sæcul XVI
A C. 1562.

da, ejusque dignitate recuperanda, difficilima sæpe bella suscepissent, & consecissent, verum antea cum hæc mala Sancta Synodus multorum fama, & auditione accepisset, graviter sane dolebat, & presentem inclyti Regni statum maxime deplorabat, ita tamen, ut facilius crederet multo, si miserabiliorem ejus fortunam videre posset, quam aurium sensu perceperat, cernere etiam oculis, & propius omnia ejus vulnera intueri, ac penitus pernoscere licuisset. Quod quidem illi nunc in sperato quodam modo contigit: etenim illustrissima, & Reverendissima Amplitudo vestra, Christianissimi Regis literas, quæ nuper recitatae sunt, oratione sua subsecuta, ea verborum copia, gravitate, prudentia, Gallicarum rerum statum & conditionem exposuit, ut eas non commemorasse, sed earum veluti expressam imaginem omnium oculis subjecisse videatur: quare constanter Sancta Synodus affirmat, se nullas ei proprias doloris partes concedere, verum eo acerbius hanc calamitatem ferre ait, quo Amplitudo vestra, Matris charissimæ, ac Dulcissimi Filii ærumnas & incommodes defleat, ac conqueratur, sed tamen in tantis malis animum erigit & confirmat, siquidem brevi futurum confidit, ut Deus reddat puero Regi pristinam Majorum suorum, & præsertim Avi, parentis, ac Fratris clarissimorum Regum virtutem & fortitudinem.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

nem, qua non solum nefarios hostium co-
natus reprimere, & audaciam ulcisci queat,
sed in terra etiam ætate singulare aliquod
pietatis exemplum ad pulcherrimi facti imi-
tationem posteritati prodere; deinde vero
cum divina clementia, atque misericordia,
& S. D. N. Pii Pontificis Maximi opera
& auctoritate hoc Sanctum generale Con-
cilium coactum sit, si unquam antea, nunc
certe maxime sperandum est, fore, ut, ve-
rus Dei cultus, discussa errorum caligine,
ab omnibus agnoscat, mores emendentur,
pax & tranquillitas Ecclesie restituatur:
qua in re; quemadmodum adhuc Sancta Sy-
nodus omnem diligentiam adhibuit, ut quæ
sui muneris & officii esse intelligebat, ad-
juvante Domino persiceret, ita in posterum
nihil se de ea cura remissuram: verum si
fieri possit, aliquid potius ad eam studii &
industriæ addituram esse pollicetur, ac spon-
det. Neque vero Illustrissime Domine, te
impulsore tantum, atque hortatore, sed mul-
to magis (quod summæ felicitatis loco ha-
bendum existimat) adjutore & consiliario
id faciet; novit enim, quanta tua sit opti-
marum artium, & præcipue sacrarum li-
terarum scientia, maximarum rerum usus,
atque apud Regem potentissimum tractatio,
summosque Principes existimatio, & auctori-
tas, & quod caput est, pietas in Deum,
vitæ integritas, & innocentia, ac veræ &
Catholicæ Religionis sincerum studium, quæ
M m 5 qui-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

quidem tot & tanta sunt, ut quid potissimum in te homines laudare debeant, maximarum virtutum cumulum, an in quoque genere absolutam, & perfectam earum formam, merito dubitari possit, illud autem exploratissimum Sancta Synodus habet, tam multa ab Illustrissima Amplitudine vestra, ad communis causæ utilitatem adjumenta allaturum iri, ut sibi nunquam minus jucundam ejus adventus memoriam futuram confidat, quam ille ipse dies, quo venientem excepit, lætissimus, & jucundissimus omnibus illuxisse visus est. Itaque Illustrissime Domine, omnes hi sancti Patres, quod tam longo, difficili & periculoso itinere suscepto, ad tuendam Sanctæ Matris Ecclesiæ dignitatem, tanta animi alacritate accurrerit, quod salvus & incolumis cum tot gravissimorum Patrum comitatu adveneris, quod tua præsentia, auctoritate, splendore frui liceat, primum Deo immortali maxime gratias agunt, deinde tibi ex animo gratulantur, faustaque omnia, ac felicia a Domino precantur. Ceterum quæ vel de communibus Catholicæ Ecclesiæ rebus, vel de privatis Gallicarum Ecclesiarum commotibus proponenda erunt, ea Sancta Synodus, quotiescunque Regiis Oratoribus, Viris præstantissimis, vel Illustrissimæ Amplitudini vestræ, de iis dicendi locus, & potestas dabitur, libentissime exaudiet: neque enim dubitat, quin ejus Regis nomine, qui pueritæ

ritiæ commendationem a pietatis acerrima Sæcul. XVI.
 defensione duxerit, cujuscunque in omni vita A.C. 1562.
 præcipuum ornandæ, atque amplificandæ Re-
 ligionis studium esse debeat, illa proponan-
 tur, quæ inprimis cum vera Dei gloria,
 perpetuæque Sanctæ ejus Ecclesiæ utilitate,
 & summa Apostolicæ Sedis dignitate, &
 amplitudine conjuncta esse videantur.

§. XXX.

*Cardinalis Mantuani responsura Ja-
 drensi Archiepiscopo con-
 tinuatam.*

Hiscæ propositis Mantuanus perorandi Pallav. l. 19.
 locum cessit Jadrensi Archiepiscopo, c. 3. n. 5.
 qui hanc in sententiam differebat: „A-
 „cerbum dolorem passa est Synodus ob
 „Galliæ seditiones, cum intelligeret,
 „Regnum illud inclytum, quod semper
 „firmissimum quasi propugnaculum Ca-
 „tholicæ veritatis perstiterat, nunc
 „propter controversiam Religionis cam-
 „pum miserabilem fragis, cladisque e-
 „vasisse, adeoque Galliæ Proceres in-
 „ter se confligere tam ardentem, quam
 „antea conjunctim bella Religionis gra-
 „tia gesserant: crediderunt prius Patres,
 „ipforum tristitiam plurimum auctum
 „iri, si forte Galliæ calamitates non
 „audiissent, sed adspexissent, & pla-
 „ne id ipsis eo die accidit improvise,
 „dum

Sæcul. XVI. „dum Cardinalis Orationis suæ copia
A. C. 1562. „& gravitate, spectatores potius, quam
 „auditores illorum infortuniorum effe-
 „cerat, adeo, ut in sensu doloris ne ipsi
 „quidem Oratori cederent. Deplorantur
 „ab illo charissimæ parentis ærummæ;
 „ac mala charissimi filii: releva-
 „tur tamen mæstitia a concepta spe,
 „quod excitaturus esset Deus ad suam,
 „suæque fidei gloriam in Rege pupillo
 „virtutem, ac felicitatem Majorum,
 „præterquam quod, cum in præsentia
 „coactus divina commiseratione, ac
 „Pontificis opera cerneretur facer ille
 „conventus, sperandum esset, disiectis
 „tenebris agnitum iri ab omnibus ve-
 „rum Dei cultum, ac disciplinæ splen-
 „dorem, pacemque Ecclesiæ redditum
 „iri, ad quod perficiendum sicuti Sy-
 „nodus antea acta industriam omnem im-
 „penderat, ita, ubi id posset, in po-
 „sterum enixius conaturam, cum lum-
 „inæ sibi prosperitati duceret præsen-
 „tiam Cardinalis, non modo uthorta-
 „toris, sed ut consiliiarii, & adjutoris, com-
 „perta enim est illius præstantia in libe-
 „ralibus disciplinis, ac potissimum in
 „sacris, ingentium negotiorum peritia,
 „auctoritas apud Principes, & quod
 „maximum erat, pietas erga Deum,
 „integritas vitæ, ac studium Catho-
 „licæ Religionis: proinde pollicetur
 „sibi

„sibi Synodus ab ejus opera tantum e-
 „molumentum, ut lætitia, quam ejus
 „adventus dies attulerat, evasura esset
 „minima inter omnes ejusdem man-
 „sionis dies: eapropter aguntur a Pa-
 „tribus debitæ Deo grates, & felix ac-
 „cessus, post tam laboriosum, ac pericu-
 „losum iter ipsi Cardinali, ejusque ho-
 „nestissimo comitatu gratulantur, dum
 „a cœlo potens auxilium ac prosperos
 „illis successus iisdem augurabantur pro
 „Religionis incremento. „

Sæc. XVI.
 A C 1562.

§. XXXI.

*Ferreri Oratori in Patrum conventu
 differendi facultas concessa.*

His addidit Jadrensis Archiepiscopus:
 „Synodi Patres libenter excipient,
 „quæcunque vel Cardinalis Lotharin-
 „gius, vel Regis Franciæ Oratores pro-
 „ponere voluerint, quamprimum his ad
 „ea exponenda locus, ac facultas con-
 „cederetur: „ Porro, inquit Pallavici-
 „nus, *adjecta sunt hæc verba postrema, ne
 Gallici Oratores sibi potestatem tri-
 buerent, publica verba faciendi, quoties ipsis
 libuisset.*

Pallav. l. c.
 Sarp. l. 7.
 p. 611.
 Psalm p. 337
 & 338.

Paulus vero Sarpus observat, quod
 die duodecima Novembris Lotharingus Car-
 dinalis postridie in Congregationem veni-
 re decreverit, eo fine, ut primo Regis literæ
 recitarentur, dein vero Lotharingus &
 ipse

Sæcul. XVI. ipse orationem haberet; insuper etiam pe-
A.C. 1562. tit Cardinalis, ut Ferrerio Oratori ^{autem}
 etiam sermonem habere liceret: Verum
 huic petito a Legatis haud assensum est, ve-
 ra autem ejus rei causa erat hæc: que-
 riam, si id semel Gallico huic Oratori per-
 set permissum, tum ipsis, tum ceteris omnibus
 Oratoribus pariter perorandi, ac propo-
 nendi facultas concedenda fuisset, non sine
 periculo majoris confusionis: quapropter
 Legati ad hunc articulum respondentes di-
 xerunt in eo Concilio, nec sub Paulo III. nec
 sub Julio III. minus vero regnante Pio IV.
 unquam permissum est, ut Oratores in
 Congregatione verba facerent, præterquam
 eo die, quo publice admissi fuerant: quo-
 que absque consensu Pontificis ejusmodi
 novitati nunquam assensuri forent. At
 Lotharingius respondit, quandoquidem ve-
 ste sint Regis mei literæ, Et nova mon-
 data attulerim, nova quoque mea Legatio
 dici potest, meaque hodierna præsentia vobis
 primus ad urbem ingressus haberi valet.
 Multis tandem ultro, citroque dictis, cum
 Cardinalis Lotharingius promississet, Ora-
 tores non ultra postulaturos, ut verba fa-
 ciant, nisi illa tantum vice: Legati tum ut
 ei satisfacerent, tum ne is offensionem obten-
 dendi, ac Synodum perturbandi occasionem
 arriperet, consensere.

§. XXXII.

*Ferreri Oratoris sermo.*Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

Quamprimum igitur Jadrensis Archiepiscopus sermonem suum absolvemat, mox Ferrerius Franciæ Orator his verbis exorsus est: „Orationibus, quas „nunc audistis, Illustrissimi Domini Sanctissimi Patres, nihil est, quod a nobis „quicquam addi, aut detrahi debeat, „tantum unum dicemus bona venia Paternitatum vestrarum, pro muneris nostriratione: Christianissimi Regis pius, „Religiosus, & in Catholicam Ecclesiam propensissimus animus, antea quidem erat omnibus satis perspectus & „cognitus: nunc autem adventu & oratione Illustrissimi Principis, & Reverendissimi Cardinalis adeo est illustratus, ut ne illius quidem dubitationis locum relinquat, nam quo minus antea tanti viri adventus ab hominibus prudentibus & peritis rerum humanarum sperabatur, eo magis cum venerit, nemo est vel mediocri ingenio praeditus, qui non plane videat, quanti nos Galli catholice Ecclesie consultum velimus: quippe quis non intelligat, pluresque, easque gravissimas esse causas, quibus adductus Rex christianissimus, illum ad vos miserit, cujus singulari consilio in rebus magnis agendis, cum antea semper usus est, tum maxime his miserrimis, & calamitosissimis Gallicæ temporibus.

Pall. c. 3 n. 6
Mem. pour le
Concil. de
Trente 332
& suiv.

Sæcul. XVI. poribus. Qui autem existimant privato
 A.C. 1562. magis commodo, quam Reipublicæ Christianæ
 causa hæc a nobis fieri, vehementer
 falluntur. Potest, si modo velit, Rex christi-
 anissimus, vel triduo seditiones omnes, ac
 motus suorum componere, inque officio, &
 obsequio Gallis innato, subditorum omnium
 animos retinere, sed non tam quæ sua sunt
 quærit, quam quæ sunt catholicæ Ecclesiæ,
 & Pontificis Maximi, cujus dignitatem
 & auctoritatem ut sartamentam in Gallia
 retineat, non dubitat tanti Regni impe-
 rium, vitam, fortunas, magnorum Princi-
 pum & nobiliorum in periculum adducere.
 Hic est Galliæ nostræ status, hæc fundis
 nostri calamitas. Quod si quis nos roget,
 quid tandem illud est, quod nos Ecclesiæ
 nostræ Gallicanæ tantopere a Concilio Tri-
 dentini Patribus expetit? non sumus, Pa-
 tres sapientissimi, in petitionibus nostris
 admodum morosi, & difficiles; nihil aliud
 petimus, quam quod totus orbis christianus
 efflagitat, quod a Concilio Nicæni Patribus
 petiit ille Magnus Constantinus, hoc ipsam
 a vobis requirit Rex christianissimus: om-
 nia illius postulata continentur, aut sacris
 Bibliorum literis, aut vetustis Ecclesiæ
 catholicæ Conciliis, aut antiquis Pontifi-
 cum, & Patrum constitutionibus, Decretis,
 & Canonibus. Hæc sunt, hæc inquam
 sunt, quorum nomine Rex christianissimus
 Ecclesiæ catholicæ primogenitus filius, Ec-
 clesiæ,

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

clesiæ, inquam, catholice petit restitutionem
 in integrum, apud vos, quos Dominus no-
 ster Iesus Christus prætores legitimos
 creavit: neque hoc ipsum petitur ex clau-
 sula, ut dicitur, generali, sed ex verbis
 expressis edicti illius divini, & perpetui,
 adversus quod nunquam fuit, neque unquam
 erit usucapioni, aut præscriptioni locus.
 Redeant quasi postliminio in sanctam Dei
 civitatem, & in lucem hominum tandem pro-
 deant, quæ antiquus hostis Sathan vi eri-
 puit, & longo tempore suppressit. Sic
 Darius Persarum Rex motus in Judæa
 propter Religionem excitatos sedavit: non
 enim ad arma continuo provocavit: verum
 ut in majorum suorum leges & antiqua edicta
 inquireretur, jussit, inventumque Regis Cy-
 ri edictum de reditu Judæorum in Ju-
 dæam, & de templi instauratione a ma-
 joribus suis neglectum, & mandavit exe-
 cutioni, & ita pacati sunt tumultus. Jo-
 sias Rex laudatissimus, & sincerissimus
 Ecclesiasticæ disciplinæ exactor & Resor-
 mator, librum legis ab Helzia magno Sa-
 cerdote repertum (posteaquam hominum
 malitia longo tempore suppressus fuerat)
 primum legit diligentissime, deinde lectum re-
 citavit populo: tum ex illius præscripto-
 ritus & præcepta divina Judæis resti-
 tuit: strenui illi Nehemice milites, quos
 tantopere commendat Chrysostomus, altera
 quidem manu telum tenebant, altera
 muros

Hist. Eccles. Tom. XLV. N n Jeru-

Sæcul. XVI. A. C. 1562. *Jerusalem ædificabant, hoc est, Ecclesiam*
ex antiquis Patrum legibus resituebant:
nisi hæc fiant Patres Sanctissimi, frustra a
vobis rogabimus, num etiam pacata est Gal-
lia? nos enim vobis respondebimus, quod
Jehu Joram roganti, num pax? num
pax? & quomodo pax, cum adhuc super-
sint, & vigeant? noſtis cætera... ()* Ni-
ſi his rebus diligens detur opera: nos fru-
ſtra conſugiemus ad potentiſſimi illius, &
maximi Regis catholici aſſinitatem, ſingula-
rem amicitiam, incredibilem liberalitatem;
fruſtra fidem, & auxilium implorabimus
Pontificis Maximi, Sereniſſimi Venetorum
Ducis, Lotharingiæ, Allobrogum, & He-
truricæ Principum auxiliares copias: ſal-
lax enim, mihi credite, erit equus ad ſa-
lutem, niſi hæc a vobis fiant: turbabitur
brevi nimia quorundam ſecuritas, & quod
caput eſt, qui interea peribunt, tamenſi illi
illis ſua propria iniquitate, & peccato con-
ſuet, vobis tamen peribunt, hoc eſt, ſan-
guis illorum de manu veſtra requiretur:
ſed priuſquam nos ad ea veniamus, qua
ſuo loco, & tempore ſumus dicturi, ſecun-
dumque mandatorum noſtrorum formulam
agemus, petimus a vobis ſapientiſſimi Pa-
tri,

(*) Ibi alludebat ad illum textum ex lib.
 IV. Reg. c. 9. v. 22. ubi dicitur: *quæ pax?*
adhuc fornicationes Jezabel, & veneficia ejus
multa videntur, fors ſubintellexit, in Gallia.

tres, a vobis, inquam, quos vestra sponte
 scimus esse satis incitatos, quorumque pieta-
 tis, religionis, & in omnes homines cha-
 ritatis, sumus non solum auctori, sed etiam
 oculati testes, ut ea, de quibus jam diu
 coepistis deliberare, quam brevissime fieri
 poterit, absolvatis, quo citius possitis de
 multo gravioribus, & magis hoc tempore
 necessariis, sententiam vestram dicere, &
 his Conventibus Ecclesiasticis finem impo-
 nere, ad laudem & honorem Dei Patris
 omnipotentis, ejusque Filii Domini nostri
 Jesu Christi.

Sæc. XVI.
 A.C. 1562.

§. XXXIII.

Viterbiensis Episcopi colloquium cum
 Lotharingio Cardinale.

Cum Viterbiensis Episcopus fre-
 quentius Lotharingium Cardina-
 lem visum ireret, hic ea familiaritate,
 quam plerumque crebræ ejusmodi sa-
 lutationes procurare solent, opportune
 usus suas apud hunc Præsulem querelas
 exponendi ansam arripuit, hunc in mo-
 dum differens: „ægerrime fero fini-
 „stram, quam Papa de me concepit, o-
 „pinionem, necnon frequentiores expo-
 „brationes, quibus beneficia mihi ab
 „eo collata importunius obtrudit: in-
 „ter alia vero potissimum mihi displi-
 „cet, quod, quotiescunque Cæsaris no-
 „mine quicquam summo Pontifici mi-
 „nus

Pall. c. 4. n. 3.
 Sarp. l. 7.
 p. 614.

Nn 2

„nus

Sæcul. XVI „nus gratum in Synodo fuerat agita-
A. C. 1562. „tum, semper Papa oculos converteret
 „ad Cardinalem Burdaferium, per hæc
 „tacite eidem insinuando, quod hæc mo-
 „lestia rursus a Cardinalis Lotharingi
 „sui popularis machinatione processis-
 „set: „ Ex altera vero parte Gualterius
 Viterbiensis Episcopus summi Pontificis
 innocentiam tuebatur: cum autem Car-
 dinalis elatius loqui inciperet, Viter-
 biensis eidem exponere cogebatur, quod
 conjunctio Papam inter, & Hispaniæ
 Regem nondum penitus confecta es-
 set, quamvis ambo ingenti mutua hu-
 jus societatis desiderio flagrarent: si ve-
 ro ejusmodi foedus firmaretur, id non-
 nisi Gallorum culpæ foret tribuen-
 dum, qui Sanctitatem suam ad hanc con-
 junctionem compulerunt.

His quoque addidit Episcopus: nec
 minus grave Franciæ Regno accideret,
 si summus Pontifex amicitiam Gallie-
 rum Regis sibi duntaxat ea conditione
 compararet, ut is, illius postulatis annue-
 ret, quorum tamen præcipuum est fa-
 cultas alienandi ingentem partem bono-
 rum Ecclesiasticorum, eo fine, ut pec-
 unias impenderet bello in Hugonot-
 tos moto, quod tamen a Pontifice de-
 negatum antea fuerat, eo quod Galliæ
 Præsules vehementer oblucrentur;
 quippe qui animadvertabant, acutum
 hinc

Sæcul XVI.
A C 1562.

hinc apertum iri, quo brevi Ecclesiæ patri-
monium exhauriretur. Nec omisit
Gualterius commemorare id, quod le-
gebatur exprobratum a quodam hære-
tico germano Doctoribus Sorbonicis,
quos nempe vitiosos esse dialecticos ar-
guebat, cum reliquis Ecclesiæ Roma-
næ principiis consentientes, prærogati-
vam tamen Romani Pontificis supra
Concilium admittere renuerent, quam-
vis hæc auctoritas consecutione le-
gitima exinde deduceretur.

§. XXXIV.

*Pium Lotharingii studium erga Sedem
Apostolicam.*

Quamvis Lotharingius Cardinalis in *Pallav. n. 2.*
hac sua consultatione cum Viter-
bensi Episcopo habita vehementius ex-
candesceret, necdum tamen a suo er-
ga Sacram Sedem studio recesserat,
sed Senonensi Archiepiscopo insinua-
bat, quod vellet sinistras, quas de ipso
homines Pontifici addicti concepissent,
persuasiones contrariis operibus evert-
re. Enimvero jam tum hujusce vo-
luntatis indicium aliquod Legati con-
spicabantur, cum in duobus argumen-
tis, contentione, ac æmulatione plenis,
circa residentiam, ac jurisdictionem E-
piscoporum, Lotharingius animum ad-
jicere videretur ad hanc quæstionem

N n 3 amice

Sæcul. XVI.
A.C. 1562. amice componendam, unde sperabant
Sessionem ante Natalitia Christi festi
habitam iri; idque ab illis brevissimum,
quod impetrari posset, spatium censeba-
tur, eoquod Patres in dicendis senten-
tiis admodum prolixi essent, necnon
Lotharingii gratia lentius procede-
retur.

§. XXXV.

*Episcopus Leriensis toto congregatio-
nis tempore perorans.*

Pallav. c.4.
n. 5.
Sarp. l.7.
p. 614.
Pfal. cap. 104.
p. 338. Die vigesima quarta Novembris alte-
ra die post orationes a Cardinale
& Ferrerio habitas, Patrum conventus
cogebatur, cujus integrum tempus Cal-
parus de Casale Episcopus Leriensis sua
oratione solus insumpsit, optans, ut
Lotharingius totam seriem quæstionis,
quæ circa institutionem Episcoporum
agitabatur, ex ipso perciperet: itaque
repetitis omnibus rationibus, quæ ab
Hispanis proponebantur, ita exorsus
est: „Episcopi Apostolorum sunt suc-
„cessores, non tamen omnino, & in o-
„mnibus, sed in ordinaria jurisdictione:
„ii igitur se habent ad Romanum Pon-
„tificem itidem, ac Apostoli ad Pe-
„trum, antequam mitterentur: obstrin-
„gitur etiam divina lege Pontifex ad
„constituendos in Ecclesia Episcopos,
„nec ipsi licet Episcoporum ordinem de-
„struere,

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„struere, non tamen Episcopi sunt Pon-
 „tifici æquales, neque separatim, neque
 „omnes conjunctim: ejus siquidem po-
 „testas aliorum potestatem moderatur,
 „& concurrit cum omnibus Episcopis
 „in eorum Diocæsesibus, necnon in eas
 „majus jus possidet, quam ipsi obtinent:
 „Ceterum res quæpiam duobus modis
 „juris divini esse potest, ita, ut proxime,
 „vel mediante quodam altero a Deo
 „proveniat. Primi Episcopi, seu Apo-
 „stoli fuerunt proxime ab ipso Christo,
 „reliqui autem omnes postea Episcopi
 „acceperunt potestatem tum Ordinis,
 „tum jurisdictionis, præcipue quidem
 „a Christo, sed per Romanum Pontifi-
 „cem, illius Ministrum: etenim nisi E-
 „piscopus a Pontifice consecraretur, ab
 „eoque gregem non haberet, eum Chri-
 „stus ut Episcopum non agnosceret:
 „porro in consecratione character a Deo
 „solo conceditur, jurisdictio autem a
 „Deo præcipue, & simul a Pontifice
 „tanquam instrumento, ita ut Episcopo
 „jam consecrato nihil nisi materia delit
 „ad eam jurisdictionem exercendam.
 Tandem hic Præsul improbabat, quod
 in Canone septimo diceretur, institu-
 tum a Christo fuisse, ut in Ecclesia essent
 Episcopi.

Alterâ die nonnisi trium Patrum
 sententiæ hac super re excipiebantur,

N n 4

ac

Sæcul. XVI
A. C. 1562.

ac postea Seripandus Legatus proponebat, prorogandam esse Sessionem, eo quod ea die Cardinalis Mantuanus absens esset. Hæc dilatio a nonnullis in sinistram vertebatur partem, perinde ac si per eam sensim ad Synodi dissolutionem via pararetur: hinc malevoli præcipue in Legatos culpam rejiciebant, illosque temerarie accusabant, quod propriæ utilitatis studiosi Ecclesie commodum procurare parum solliciti essent: quinimo ex Synodi Patribus saltem potissimi idem ferme, ac populus, iudicium ferebant, unde Legati suam innocentiam meliori, qua possent, ratione vindicaturi, hujus cunctationis causam in ipsos Synodi Patres regerebant, eo quod hi in dicendis sententiis tanta uterentur prolixitate, ut plures congregationes habere oporteret, ut ce, ut eorum aliqui de uno, vel duobus articulis differentes percipi possent: nihilominus in superhabitis mutuis hisce querelis, quæ utrinque suis innitebantur rationibus, unanimi suffragio conventum, ut Sessio adhuc differretur, de illius autem die disceptatum, donec tandem post acrem disceptationem ultro, citroque habitam decerneretur, ut intra octiduum certa dies ei præscriberetur.

§. XXXVI.

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

*Trium Virorum obitus Tridentinis
Patribus denuntiatus.*

Sub idem tempus Tridenti nuntiatum est, tres Viros Synodo admodum gratos mortalitatem exuisse, quorum primus erat Joannes Baptista Osius patria Romanus Episcopus Reatinus, qui in suam Dioecesin reversus Spoleti naturæ debitum solvit. Hic Præsul erat doctrina insignis, & Religionis fervore ardens, quamvis ceteroquin judicii sui tenax audiret: porro ad hunc Episcopatum Legati apud Pontificem proponebant Castaneam Rossanensem Episcopum: ast hanc Ecclesiam Papa jam destinaverat Amulio Cardinali.

*Pallav. cap. 4
" 9. & 10.
Mem. Lettre
de Lansac a
la Reine 25.
Nov. p. 345.*

Alter erat Fridericus Borromæus illius Cardinalis, qui idem nomen ferebat, frater, Ducisque Urbinatis Gener, qui ex linea Materna Pii IV. Nepos obiit Romæ die vigesima Novembris.

Tertius erat Joannes Medicæus Cardinalis Cosmæ Florentiæ Ducis Filius, qui Pisis die vigesima quinta ejusdem Mensis mortuus est. Referunt nonnulli hunc jussu Garziæ Fratris sui Viri admodum iracundi, atque vehementis, quocum diffidia habebat, fuisse trucidatum, Cosmam vero Magnum Etruriæ

*Thuan. l. 32
" 2.*

Nn 5 Ducem

Sæc. XVI. A.C. 1562. Ducem ob Filii sui jacturam ad tantam pervenisse desperationem, ut Garziam alterum Filium suum propria manu interficeret, hujus mortem ulturus: verum huic relationi non adeo firma constat fides. Ceterum hic Cardinalis Medicæus tum nonnisi decimum nonum ætatis suæ annum agebat.

§. XXXVII.

Bavariæ Ducis Orator a Synodo recedere iussus.

Pallav. l. 19. *C. 4. n. II.* Sub idem tempus Orator Bavarus a Synodo discedere a suo Duce jubebatur, eoquod Concilii Præsides dubitassent, an eidem nobiliorem præ Helvetiorum Oratore locum assignare deceret: itaque Bavarus hæc mandata aperit Legatis, qui eum retinere adlaborabant, imo etiam operam quinqueecclesiensis Episcopi implorabant, qui eidem pollicebatur, se effecturum, ut Helvetiorum Orator a Congregationibus abesset, proin ipse libere illas accedere posset: verum tam Episcopi conatus, quam ejusmodi pollicitatio in irritum cecidit; Bavarus enim rem ita decidi postulabat, ut sibi Sedis prærogativa adjudicaretur: cum autem id eidem fuisset denegatum, Orator Tridento discessit: vix autem abierat, cum illico ad Helvetios deferrentur literæ, quibus se

se fore contentos significabant, si am-
bo Oratores, alternis tamen vicibus, pu-
blicas actionibus interessent: verum hæc
concordiæ via nimis tarde proponeba-
tur, aliunde vero Bavarus forte illam
non acceptasset.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. XXXVIII.

*Fama ad Synodum delata de proximo
Lunensis Comitibus adventu.*

Subrogabatur equidem absenti Piscario
Marchioni tanquam Hispaniæ Regis
Orator ad Synodum destinatus Lunen-
sis Comes, cujus tamen proximus ad-
ventus parem circa sedendi prærogati-
vam litem concitabat; huic enim Fran-
ciæ Oratores, quamvis a Papæ Legatis
impense rogarentur, cedere detrecta-
bant, palam professi, se mox inde reces-
suros, si Lunensi faveretur.

Pallav. l. 4.
n. 12.
Sarp. l. 7.
p. 626.

§. XXXIX.

*Vargas potius cedere, quam pacem
lædere clam ab Hispaniæ Rege
jussus.*

Hispaniæ Rex, cum ejusmodi dissen-
sionum mala prævideret, Vargæ
Oratori suo præcepit, ut ejus nomine
Pontifici declararet, quod Rex malit
oratorem suum cedere, quam exinde
Synodi pacem turbare, si ea salvis Re-
giis

Pallav. l. c.

Sæcul. XVI. giis juribus conservari haud posset: por-
A.C. 1562. ro hac ratione tollebatur diffidium,
 quod forte ad apertam offensionem viam
 parare potuisset.

§. XL.

*Lotharingius Cardinalis ceteris prior
 suam sententiam edicere de-
 trectans.*

Pallav. l. c. Interea propositis quæstionibus cum
E. 5. n. 1. magno ardore fuit infudatum, ubi
 Cardinalis Lotharingius, antequam
 suam mentem aperiret, agebat, quod
 prius omnes Episcopos, exceptis Gallis,
 percipere, ac cujuslibet opiniones dili-
 genter observare velit: inde vero con-
 cludebant nonnulli, quod is statueret,
 se quasi Concilii arbitrum gerere, adeo-
 que sententiæ declarationem differre,
 donec certus esset, quod suæ opinio-
 nis manifestatio quasi decisionis vim ha-
 bitura esset. Magis adhuc horum su-
 spicio invalescebat ex eo, quod Cardi-
 nalis Lotharingius ingentem exhiberet
 lætitiâ, cum ei nuntiaretur, quod rur-
 sus tres alii ex Franciæ Episcopis jam
 Brixiam pervenissent, Tridentum accel-
 suri, quorum adventum veluti novum
 Lotharingicæ auctoritatis argumentum
 interpretabantur.

§. XLI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.*Viterbiensis Episcopus Franciæ Oratoribus suspectus.*

Ex altera parte Galliarum Oratores a Gualterio aversum fovebant animum, atque inter eos Lanfacus, dum ab illo Papæ literas acceperat, vehementer querebatur, quod Simonetta Legatus datis literis sinistram de ipso opinionem Pontifici ingesserit: in cuius rei testem epistolæ exemplar sibi ab Insulano transmissum produxerat: verum Gualterius hujus rei omnino ignarus facile sese purgabat, hujusque Oratoris probitatem commendabat, adeo, ut hac ratione mutua inter eos amicitia rediret: attamen Gualterium sibi magis exosum habebat Insulanus, qui etiam ad Lotharingium Cardinalem Roma perscribere ausus est, ut sibi cavere a Viterbiensi Episcopo, eoquod ipsius esset inimicus, eumque tanquam hæreticum coram Pontifice traduceret. Verum Cardinalis meliora de Gualterio edoctus, atque hujus Viri libertatem, ac sinceritatem plurimum admiratus Insulano respondit, quod longe diversa ab iis, quæ ipse contra hunc Præfulem perscripisset, expertus fuisset, atque argumentis comprobare posset.

*Pallav. l. 19.
c. 5 n. 2. & 3.
Lit. Gualt.
ad Borr. 26.
& 30. Nov.*

§. XLII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. XLII.

*Molina Senator a Piscario Marchione
Tridentum ablegatus.*

Interea Hispani Oratoris Procuratores omnem impendebant operam, ut Nationis suæ Præsules eo inducerent, quatenus in disputationibus majori uerterentur moderatione: cum autem eorum vehementia tam facile sedari haud posset, atque hujus rei culpam Piscarius Marchio Pagnani, qui interim Tridenti illius negotia procurabat, eique ab epistolis erat, imbecillitati, atque exiguæ illius auctoritati adscriberet, hacque in opinione per summi Pontificis literas supra memoratas confirmaretur, hinc Pagnano Virum magis constantem ac intrepidum adjungere statuit, atque ad hoc munus Senatorem Nolinam selegit. Hic ergo unacum novis publicæ fidei literis a Piscario ad Hispaniæ Episcopos directis Tridentum pervenit, ut pia obsequia, quæ Pagnanus Sedi Apostolicæ præstare inceperat, ipse rursus hisce Episcopis committeret, atque innovaret: Verum incallum omnia; cum enim hic Delegatus vehementius peroraret, cuncta hæc consilia suo frustrabantur successu, quippe Præsules sibi persuasum habebant, quod

in scio Hispaniæ Rege omnia hæc non-
 nisi Arragonii Cardinalis, qui Piscarii
 Marchionis frater erat, molimina essent,
 cum aliunde pro comperto haberetur,
 quod semper eo majores exorirentur
 difficultates, quo magis quæstionum
 discussio urgeretur: hinc Franciæ Ora-
 tores sollicitabant Synodi Patres, ut ab
 ejusmodi tricis sese expedire studerent,
 ac præcipue omnes quæstiones super-
 fluas unice reformationis negotio in-
 tenti declinarent, ut demum, quid ex
 hac Synodo sperandum esset, innotesce-
 ret: itaque rursus solitæ habebantur
 Congregationes.

§. XLIII.

*Guadicensis Episcopi sententia circa
 institutionem Episcoporum.*

Die prima Decembris cogebatur Pa-
 trum Conventus, in quo Melchior Pallav. l. 19.
c. 5. n. 5.
 Avosmedianus Guadicensis Præsul sen-
 tentiam suam exponebat de Canonis
 proponti verbis, ubi habebatur, Episco-
 pos a Romano Pontifice vocari in par-
 tem sollicitudinis, & ab eo assumptos
 esse veros Episcopos: porro hic Præsul
 objiciebat, magis amplam, minusque li-
 mitatam dictionem adhibendam esse,
 eo quod is, qui secundum Apostolorum,
 Nicenæque Synodi Canones eligeretur,
 verus Episcopus evaderet, tamethi nec
 a Ro-

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

Sæcul. XVI. a Romano Pontifice assumptus, nec
A.C. 1562. confirmatus fuerit, cum iidem Canones dicant, illum esse initiandum, consecrandumque a Metropolitanano, nulla facta Romani Pontificis mentione; quinimo nec ea consuetudo in Ecclesia universalis esse videtur, ut Summus Pontifex eligat, quippe Chrysostomum, Nicolaum, Ambrosium, Augustinum, & alios fuisse quidem Episcopos, a Romano tamen Pontifice electos non constat, quin etiam ab Archiepiscopo Salisburgensi quatuor Suffraganei sui Episcopi Passaviensis, Brixienfis, Frisingensis, & Tridentinus tanquam a suo Metropolitanano creantur, ac confirmantur, nihil in eo negotio auctoritatis exercente Romano Pontifice: Attamen Simonetta Cardinalis veritus, ne ejusmodi opinio altiores fortassis radices ageret, loquentem modeste interpellans monuit, id a Salisburgensi Archiepiscopo, aliisque nonnullis Primatibus fieri ex auctoritate, ac Privilegio Pontificio.

*Psal. p. 339.
 Sarp. l. 7.
 p. 617.*

§. XLIV.

Synodi Patrum indignatio contra hunc Episcopum.

Cum hic Guadicensis Episcopus rogaret, ut ad suam sententiam plene exponendam suum sermonem prosequi permit-

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

permitteretur, quidam Præsules magis turbidi, atque immoderato Zelo animati conclamabant: *ejiciatur e Synodo*: alii quoque illum tanquam hæreticum esse expellendum vociferantes sæpius hanc vocem *anathema* ingeminabant, addentibus aliis, ipsum etiam rogi supplicio esse puniendum: insuper Ægidius Falcetta Caprulæ in Foro-Julienfi Provincia Episcopus in alias contumelias non magis acerbis prorumpebat, unde ingens oriebatur tumultus inter Prælatos, qui sibilo, ac pedum complosione hunc Episcopum Guadicensem damnabant, quamvis alii eum excusare niterentur. Non deerant etiam, qui eo usque moderationis limites transgredierentur, ut contra omnes Hispanos, perinde ac si Guadicensis Episcopi sententiæ adstipulantes se nefandæ hæresis reos effecissent, insurgerent, palamque edicerent: plus molestiæ, ac fastidii nobis infertur ab istis Hispanis, qui tamen se Catholicos jactitant, quam ab ipsis hæreticis: verum iracunde Hispani respondebant: *Hæretici estis vos*. In tam gravi perturbatione vix impetrarunt Legati, ut Avosmedianus sermonem suum prosequi permitteretur, cum ergo Præsul sese explicandi facultatem obtinuisset, nimia hac Pontificiorum indulgentia abusus sermonem

Hist. Eccles. Tom. XLV. Oo suum

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

suum ad diversum, quam antea inter-
derat, sensum detorquebat, inter alia
etiam hæc proferens: „quamquam o-
„pus non sit, ut omnes Episcopi nomi-
„nati a Pontifice assumantur, omnes
„tamen Episcopi adstringuntur, ut Ro-
„manum Pontificem tanquam supre-
„mum venerentur; in eo enim est ple-
„nitude jurisdictionis, sed usus, ac
„materia, quam ille Episcopis destinat,
„non potest absque justa, & rationi
„consentanea causa ipsis auferri: ceter-
„um declarare plane oportet, Episco-
„pos jure divino superiores esse meris
„Presbyteris. His prolatis admiratio-
nem ob strepitum contra ejus dicta
„excitatum ostendens addidit: feren-
„da non est sententia in id, quod in-
„tegre auditum non est: nam si quis
„eas voces audiret, *non est Deus*, nec
„illis adnexas perciperet, *dixit insipient*,
„posset blasphemiam Davidem damnare:
„porro sic contigit illis Patribus in dam-
„nanda mea opinione, quod commissuri
„non fuissent, si prius meam mentem
„plene percepissent: insuper illud ad
„meam defensionem conducere videtur,
„quod ter Synodo interfuerim & qui-
„dem sub Paulo III. Julio III. tanquam
„Doctor, nunc vero sub Pio IV.
„Pontifice tanquam Episcopus.
Cum ergo Præsul. hac explicatione
Italiæ

Italiæ Episcopis magis fatisfaceret, ^{Sæcul XVI.}
 magisque consonam eorum Theologiæ ^{A C. 1562.}
 doctrinam proferret, hinc cum multa
 attentione illius sermo excipiebatur,
 ejusque innocentia comprobata est.

§. XLV.

*Cardinalis Lotharingii sententia hanc
 in rem prolata.*

Postea Cardinalis Lotharingius, qui ^{Pallav. c. 5.}
 durante hoc conventu fuzæ indigna- ^{num. 6.}
 tioni imperabat, submissa quidem voce,
 turbato tamen vultu ita effatus est.

*Hæc insolita agendi ratio æqua non est, nec
 eam ab Episcopis teneri, unquam in ani-
 mum induxissim. Mox autem Viceco-
 mes, & Vercellensis Episcopus Lotha-
 ringium allocuti, ex his postremus di-
 cebat: si quid hujusmodi Gallo cuiquam
 accidisset, actutum ipsus ego ab hoc con-
 ventu ad liberiolem Synodum provocassem:
 ubi vero huic licentiæ remedium non oppo-
 nitur, una omnes in Gallias revertemur.*

(*) Præterea idem Præsul in aliis col-
 loquiis hæc proferebat: „si quid hujus-
 „modi adhuc alia vice accideret, de
 „nationali Concilio in Galliis habendo
 „deliberandum est: infulsum enim mihi
 „videtur, quod tanta animorum affectio

Oo 2 pro-

(*) Addit Pallavicinus: *ingens sane hæc
 insipientia fuit.*

Sæcul. XVI.

A. C. 1562.

„prodatur, ut etiam Patres hæreticorum
 „proclament id, quod tamen hæresin
 „non sapit: si animo recoluisent, quam
 „mature antiqui Patres cuncta expen-
 „debant, antequam cujuspian nomen
 „percellerent horrida hac voce: *Ana-*
 „*thema*, certe eam non adeo temere in-
 „tam pium Antistitem protulissent:
 „sed magis adhuc absurdum mihi vi-
 „detur, quod ob errorem unius, etiam si
 „fuiſſet hæreticus, universam Natio-
 „nem adeo conspicuam, omnique
 „honore dignam calumniis impetere
 „ausi fuerint. Lotharingius hanc ob-
 rem animo suo constituit, quod in pro-
 ximo conventu hanc agendi actionem
 Episcopis adeo indecoram graviter ex-
 probrare vellet: id vero subodorati Præ-
 sides ab hoc proposito Cardinalem a-
 vertere, Gualterii opera usi nitebantur,
 cum ejusmodi culpam castigandi aucto-
 ritas unice ad illos spectaret.

§. XLVI.

*Primi Legati monitum ad Synodi Pa-
 tres circa modum ferendi
 suffragia.*

*Pallav. c. 12.
 num. 2.*

*Epist. ad
 Borrom.*

3. Decembr.

Isid. p. 339.

Enimvero Mantuanus Cardinalis in
 conventu die secunda Decembris ha-
 bito Synodi Patres, modeste tamen,
 corripiebat, nil ferme acerbius expo-
 nens

nens, nisi ut eos hortaretur, quatenus ^{Sæcul. XVI.}
deinceps suas sententias cum majori ^{A.C. 1562.}
moderatione, ac minori prolixitate edi-
cerent, nec non nisi temperate, & dun-
taxat necessitate coacti aliis sese oppo-
nerent: postea pro Sessione diem deci-
mum septimum Decembris esse assignan-
dum proposuit. Annuerunt huic pro-
positioni Patres, quamvis plures eidem
antea repugnarent.

§. XLVII.

*Aliphani Episcopi sententia non sine
Patrum strepitu excepta.*

Alter die Jacobus Gibertus de No- ^{Pallav. l. 19.}
guera Hispanus, Aliphanus Epi- ^{c. 5. n. 10.}
scopus circa quæstionem de institutio- ^{Es II.}
ne Episcoporum verba fecit, inde vero
novi oriebantur tumultus; hæc enim
asserere minime dubitabat: „Episcopi
„etiam post Redemptoris mortem non
„fuerunt electi, instituti, & vocati a
„Petro, sed a Christo, sicuti constat de
„Mathia, ac Barnaba, ideoque Petrus
„dixit Domino: *Ostende, quem elegeris:*
„hinc etiam affirmat S. Chrysostomus,
„quod D. Petrus in ea electione senten-
„tiam a Deo latam pronuntiaverit: nec
„minus alia electio fuit habita per actio-
„nem exteriorem ab Apostolis, dum
„Spiritus Sanctus dixit: *Segregate mihi*
„*Saulum, & Barnabam &c.* sejunctio
„igi-

Sæc. XVI
A.C. 1562

„igitur, & consecratio apud homines
„manent, sed potestatis collatio et
„Christi opus, prout collatio efficacia
„in Sacramentis. „

Ceterum cum Mantuanus, & Seripandus Cardinales ab hoc Patrum conventu abessent, Osius Legatus loquentem Episcopum interpellabat eidem hæc declarans: „hujusmodi dissertationes nec conferunt argumento, nec „ad ædificationem, sed ad destructionem valent, nec Episcopos decet de „supremo ipsorum Principe quæstionem „agitare: nam controversia cum hæreticis est, an Episcopi electi a Romano „Pontifice veri sint Episcopi, & a Christo instituti, cum tamen quidam illic „audiantur, qui e contrario affirmare „audent, quod possint creari Episcopi, „quos Pontifex non assumpsisset: idcirco „nullus miretur, si qui nonnunquam, „dum sententias dicunt, interpellentur, „quando rei propositæ, prout patet „est, eorum sermo minime respondet. „ Ad hæc Aliphanus reposuit, quod „tunc, dum jurisdictio Episcoporum expenditur, opus sit de Pontificia queque disserere.

Postea Granatensis Archiepiscopus Aliphanum defensusus e sede sua surgebat, inquit, cum ceteri Patres suam quisque sententiam protulissent, etiam Ali-

Alifano liberum fore, ut & ipse suam Sæcul. XVI:
A.C. 1562.
promeret: ad hæc autem reposuit Caselius Cavenfis Antistes: „haud diffitemur, ceteros hanc in rem differuisse, modo tamen longe diverso:„ cum igitur exinde verborum contentio time retur, Simonetta Cardinalis dissidentes placabat, dabatque Caselio, aliisque tacendi signum: eapropter Alifanus suum sermonem prosequeretur, quamvis non deessent quamplurimi, qui eum præpedire studerent.

Absolute hujus Episcopi sermone mox Osius Legatus, approbante Cardinale Lotharingio, quem sibi proximum habuit, verba faciens, inquit: „existimo quidem, cuncta a Patribus „in ea Sacrosancta Synodo recte Religionis studio fuisse prolata, sed vera „controversia inter Catholicos, & hæreticos in eo solum sita est, an admit tendi, nec ne sint tanquam Episcopi „legitimi ii, qui a summo Pontifice „eliguntur; a qua controversia alienæ „omnino sunt disputationes illæ, num „etiam legitimi Episcopi absque hu jusmodi electione esse possent: quin „imo, si hoc affirmatur, potius adver sarii adjuvantur, quam impugnan tur: hoc itaque damnandum venit, „nec tempus terendum aliis quæstioni bus ad rem haud pertinentibus, præcipue

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

„cipue vero nihil proferendum, quod
„aliis offensionem esse posset: „ Equidem
Alifanus reponere, ac contentiones
innovare parabat, sed Simonetta impo-
sito silentio illum admonuit, ut aliis
quoque sua proferendi copiam faceret.

§. XLVIII.

*Romanorum Regis electio, necnon
Navarræ Regis mors Tridentinis Pa-
tribus denuntiata.*

*Pallav. l. 19.
c. 5. n. 12.
§ 13.*

Sub idem tempus Tridenti duo maxi-
mi momenti eventus nuntiabantur,
de quibus postea fusius agemus. Præ-
cipuis significabatur, Maximilianum Bo-
hemæ Regem die vigesima quarta No-
vembris in Romanorum Regem Fran-
cofordiæ fuisse electum: eapropter Ma-
drutius Cardinalis hac occasione dies
festos illic in urbe celebrabat, cum
vero nonnulli hunc Principem in fide
minus firmum perperam suspicarentur.
Legati haud consulta Synodo publice
hanc solemnitatem agere renuebant; (*)
post-

(*) Pallavicinus hanc in rem ait: legi
vero pronis erant animis ad idem agendum
mine Synodi solemnibus gratiarum Sacrificio,
publica laudatione, cum Imperatorum Sceptrum
collocatum fuisset in Principe Catholico. Et
familia usque adeo bene merita de Religione.

postquam vero etiam Concilii Patres assentiebantur, in gratiarum actionem Sacrum solemniter peragendum decernebatur, quod & effectui datum, ac festivo decantatum est a Pragensi Archiepiscopo, latinam panegyricam in huius Principis laudem perorante Dudithio, cui etiam sex Cardinales, omnes Principum Oratores, cunctique Concilii Episcopi intererant, quorum plures postea prandio ab Archiepiscopo excepti sunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Secundo nuntiabatur, quod Antonius Borbonius Navarræ Rex die decima septima Novembris ex vulnere in Rothomagensi obsidione accepto obierit. Hic Henrici IV, per quem stirps Borbonica in Francia sceptrum rotare ceperat, erat Pater, natusque die vigesima secunda Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo: dein vero uxorem duxit Joannam Albrechtam Navarræ Reginam, quæ Henrici secundi Navarræ Regis, necnon Margaritæ Valesiæ Francisci I. sororis filia erat.

§. XLIX.

Lotharingii Cardinalis opinio circa institutionem Episcoporum.

Pridie, quam Antonii Navarræ Regis obitus nuntiabatur, seu die quarta

Act. Nicolai
Psalmaei
part. 2.
Decem-
pag. 341.

O o 5

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

Decembris Lotharingus Cardinalis nondum auditis aliarum Nationum Patribus, eorumque sententiis, ipse in Congregatione post prandium habita opinionem suam exponebat, ac non sine magna eloquentia duabus omnino horis perorabat, plurimum tamen ultramontanis opinionibus, præcipue circa ea, quæ Papæ potestatem concernunt, insistebat. (*)

§. L.

Doctrinæ capita præprimis a Lotharingio explicata.

Itaque

(*) Mirum, quod Continuator communem Ecclesiæ sententiam (excepta unica Natione) semper nonnisi Ultramontanam opinionem nominare audeat, magis autem mirum est, quod Ultramontani per tot sæcula nullo Principum edicto, vel mandato, aut metu abstracti sponte tanquam veram universalis Ecclesiæ sententiam adoptarint, unice veritatis, ac rationum pondere stimulati: e contra ut recens sententia Ultramontanæ opposita, & Basileensibus schismaticis inventa nonnihil evalesceret, necesse fuerit, ut edicta Regum Cleri, Senatum &c. promulgarentur, iisque hujus sententiæ usus præciperetur, simulque intellectui, ac voluntati quodammodo vis inferretur.

Itaque Cardinalis præprimis ita disse-
 rebat: (*) „Nihil expendi potest a
 „Patribus Christianæ Religioni conve-
 „nientius, quam Ordinis Sacramen-
 „tum; frustra enim laborarent in de-
 „cretis circa Sacramenta, ubi adhuc
 „dubitari posset, quis esset legitimus
 illorum

Sæc. XVI.
 A.C. 1562.

Pallav. c. 6.
 num. 2.

(*) Quoniam vero Continuator suppres-
 serat ultramontanæ istas opiniones, quibus
 Cardinalem nimio Zelo instituisse accusat, ex
 ipso Psalmæo, quem ille allegat, eas recen-
 sere lubet, ut Lector Catholicus ex illis col-
 ligere valeat, an hæ sententiæ mere ultra-
 montanæ, & non potius Catholicæ sint, proin-
 oppositæ errorem sapiant: *circa Canones Le-*
tharingius, inquit Psalmæus, maxime, &
eloquentissime, & prudentissime dixit de pote-
state Episcoporum, quæ a Deo, ut totus ordo
sacer, est instituta; primatum Petri etiam
confirmavit indubitatis Scripturæ testimoniis,
per quem & ejus Successores vocati sunt Epi-
scopi, in partem sollicitudinis, nec unquam vi-
sum, quod per Romanum Pontificem Episcopi
eligerentur, sive instituerentur, aut provide-
rentur de Ecclesiis, sine explicita ejus voluntate,
vel implicita, cujus Primatum magis augere,
stabilire, & confirmare debemus, quanto ma-
gis ad unitatem servandam, & stabilendam o-
mnes nostri conatus tendere debent, & quanto
adversarii expugnare nitantur, ut totum post-
ea ordinem Ecclesiasticum confundant.

Sæc. XVI.

A.C. 1562

„illorum minister. Ast cavendum præ-
 „mo loco, ne fur, aut latro intraret in
 „ovile Christi, qua de causa tot in Ec-
 „clesia perturbationes cernuntur:
 „Postea præprimis doctrinæ capita di-
 „scutere incipiebat, atque in iis impro-
 „babat primum caput, quo dicebatur,
 „in omni lege Sacerdotes cum Sacrifi-
 „ciis fuisse conjunctos, cum de eo haud
 „plene constaret, quandoquidem in lege
 „naturæ cuncti primo geniti Sacerdotes
 „erant: observabat pariter latinam vocem
 „ibidem positam, *Servator*, esse quidem
 „latinitatis puritate elegantem, sed mi-
 „nus significantem, quam par esset, nec
 „usurpatam ab antiquis Patribus in
 „sensu *Salvatoris*: censuit præterea, in
 „tertio capite, ubi agebatur de rebus
 „Ordinis Sacramento necessariis, no-
 „minandas non esse materiam, & for-
 „mam, non quidem perinde ac si hæc
 „non adessent in hoc Sacramento, sed
 „quia hujus Sacramenti materia facile
 „decerni non possit: optabat tamen ex
 „altera parte, ut fieret mentio de ma-
 „nuum impositione, utpote in veteri
 „testamento, & in novo frequen-
 „tius commemorata. In quibus om-
 „nibus adhuc ejus sententia Patribus
 „placuit, quamquam in postrema
 „parte, ne definiretur, impositionem
 „manuum esse partem Sacramenti, se-
 „lecta

lecta sint vocabula magis universalia *Sæcul. XVI.*
vocum, & signorum, quæ veluti partes *A. C. 1562.*
 Sacramentum componentes essent ne-
 cessariæ ad sacram Ordinationem, non
 tamen silentio præterita manuum im-
 positione, quinimo allegabantur in De-
 creto verba D. Pauli ad Timotheum:
admonéo, ut resuscites gratiam Dei, quæ
est in te per impositionem manuum mearum.

Lotharingius ad præcipuam quæ-
 sitionem accedens, ex opportunitate eo-
 rum, quæ habebantur in capite quin-
 to, dixit, quod placeret sibi aperta rei
 declaratio, ut ambiguitas omnis tum
 Catholicis, tum hæreticis auferretur
 de Concilii sententia: „non quidem
 „prosequebatur Cardinalis, mihi pro-
 „bantur voces hæ: *ex Jure divino;* ut-
 „pote quæ causam multis contentioni-
 „bus, in Ecclesia darent, nec Con-
 „troversię subjicitur, potestatem Ordi-
 „nis in Episcopis esse proxime a Deo,
 „cum ex Sacris literis, dum ordo con-
 „fertur, hæc verba adhibeantur. *Ac-*
 „cipite Spiritum Sanctum, qui tamen
 „nonnisi a Deo dari potest: simul po-
 „testas jurisdictionis in universam Ec-
 „clesiam provenit a Deo: etenim Ec-
 „clesia nullam habet, ne regatur a Ro-
 „mano Pontifice, & ab Episcopis, efficien-
 „di potestatem, neque jus constituendi
 „sibi Aristocratiam, aut Democratiam;
 „sed

Sæcul. XVI. „sed regi necesse est Monarchiam a Pon-
 A.C. 1562. „tificæ universali, & ab Episcopis pe-
 „cularibus: id autem originem ducit
 „proxime ab ipso Deo: præterea in
 „quovis Episcopo ea pars jurisdictionis,
 „quæ naturam excedit, originem a Deo
 „trahit absque ullo interposito, cum id,
 „quod supra naturam est, effici non
 „possit ab hominibus, cujusmodi
 „est jurisdictio absolvendi a peccatis,
 „sed non propterea inferri potest, potestatem
 „Episcoporum Pontificiæ esse æqua-
 „lem, nec ex eo, quod Episcoporum juris-
 „dictio descendat proxime a Deo, aliquid
 „in Ecclesia detrahatur Pontificis aucto-
 „ritati, prout olim observabat in suo
 „volumine Polus Cardinalis: soli nam-
 „que Pontifici datum est eam exercere
 „in quocunque alio, quatenus omnes
 „ad ministerium vocandi, assumendi,
 „deponendi, & mittendi potestatem hæ-
 „bet, ita, ut nullus Episcopus assuma-
 „tur, ac mittatur a Deo, nisi per ipsum
 „summum Pontificem, idque ab eodem
 „Polo idoneis exemplis illic illustratum
 „apparet, idcirco, quoties dicebatur,
 „in remotis Provinciis quempiam ad
 „Episcopatum assumi a Metropolitanis,
 „semper intelligendum fuit, id fieri
 „aut ex Apostolorum Constitutione, aut
 „ex Decreto legitimæ Synodi, aut ex
 „summorum Pontificum privilegio, adeo
 „ut

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„ut adfuerit, vel expressa, vel tacita
 „Romanæ Sedis auctoritas: aliter enim
 „ratio summi Capitis destrueretur: id
 „quoque conspicitur in cunctis Episco-
 „pis, præter Apostolos, qui a Christo
 „per se, seu *immediate* electi fuerunt: quod
 „autem objectatur ex Divi Pauli Apo-
 „stoli verbis: *ego nec ab homine, nec per*
 „*hominem*, id conducit potius ad rem a
 „me propositam magis comprobendam;
 „siquidem dum Sanctus Paulus refert
 „quasi suum *peculiare* privilegium, *nec*
 „*per hominem*, insinuat reliquos omnes
 „vocari per interpositum hominem, hoc
 „est, per summum Pontificem: quare
 „a Deo utique jurisdictio provenit, sed
 „eam Papa exercet in subjecta materia,
 „quam aliis destinat, ita, ut eam au-
 „ferre possit, aut minuere: quod vero
 „hujusmodi potestas ab Ordine non o-
 „riatur, liquido patet, cum Sede va-
 „cante ab Ecclesiasticorum Collegio po-
 „testas exerceatur, & anathemata vi-
 „brentur, eoquod alias, si verum
 „id esset, hæc potestas in Vica-
 „rium, qui Sacris Episcopi ordinibus
 „initiatus non est, transferri non posset,
 „nec licitum esset ab Episcopo ad Ar-
 „chiepiscopum provocare, cum gradus,
 „& prærogativa Archiepiscoporum hu-
 „mani juris mere sit: hanc igitur juris-
 „dictionem plene penes Pontificem esse
 „constat,

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

„constat, cui liberum est eam moderari,
„dummodo id præstet ex Apostoli esse-
„to, in ædificationem, non in destructio-
„nem: hujusmodi tamen disputationes,
„quippe infinitæ, potius prætermittendæ sunt, solumque declarandum
„id, quod ad verorum Ecclesiæ Ministrorum institutionem attinet.”

§. LI.

*Continuata hujus Cardinalis oratio
circa Canones.*

Pallav. l. 19. c. 6. n. 4. Psal. p. 341. **E**xaminatis doctrinæ decretis Lotharingius ad Canones transibat, hæc exponens: „haud probantur mihi in
„sexto Canone voces tunc appositæ,
„*Sacer Principatus*, cum potius retinenda duntaxat esset vox illa *Hierarchia*, quæ, tametsi idem valeat, modestius tamen sonat, & prius in græcicæ a S. Dionysio adhibita, ac postea ab Ecclesia latina usurpata est.” His dictis denique hanc novam septimi Canonis formam proposuit, de qua prius privatum sermonem habuerat cum Legatis: *Anathema, si quis dixerit, Episcopos non fuisse a Christo institutos in Ecclesia, aut ex sacra Ordinatione Presbyteris majores non esse.*

Præter brevem hunc Canonem duos expendendos protulit ampliores; quibus una ex parte definiretur tanquam a Deo

a Deo constituta præprimis Episcopo-
 rum eminentia, ex altera vero parte
 affereretur summi Pontificis præroga-
 tiva: porro prior damnabat eum, qui
 diceret, *Episcopos non esse a Christo in-*
stitutos in Ecclesia, aut ex ipsorum ordi-
natione non esse majores Presbyteris, aut
ordinandi potestatem non habere, aut Or-
dines ab illis collatos absque consensu, &
vocatione populi, irritos esse.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Altero Canone pronuntiabatur ana-
 thema in illum, qui diceret, *Petrum ex*
institutione Christi primum inter Aposto-
los non fuisse, summumque ipsius Vica-
rium, nec necesse esse in Ecclesia unum
esse supremum Pontificem, Petri Successo-
rem, eique parem in auctoritate regendi,
atque in Romana Sede ejus Successores
ad hoc usque tempus non habuisse jus Pri-
matu in Ecclesia.

His ita propositis Lotharingius Car-
 dinalis suum absolvit sermonem.

§. LII.

*Aliorum Præfulum opiniones circa
 idem argumentum.*

Alterâ die habebatur Patrum conven-
 tus, in quo die quinta Decembris
 Franciæ Præfules suas quisque senten-
 tias edicebant: ac quidem primus inter
 eos matutino tempore diserebat Ga-
 briel

*Psalmus
 2. part. p. 341. &
 342. & seq.*

Hist. Eccles. Tom. XLV.

Pp briel

Sæcul. XVI briel le Veneur, feu Venator Ebro
A. C. 1562 censis Episcopus.

§. LIII.

*Pſalmæi Virodunensis Episcopi
 oratio.*

Hunc ſequebatur Nicolaus Pſalmæus
 Virodunensis Antiftes, qui ſic per-
 orabat: *Hæſterna luce circa Sacri Ordinis
 doctrinam & Canones Cardinalis Lo-
 tharingius tam diligenter, & acute diſſe-
 rebat, & quæ ad ſuam ſententiam ſacere
 debebant, ea tam ornate, & diſtinde pro-
 ſtupenda ingenii ſui felicitate complexus
 eſt omnia, ut nemini non abunde ſatis-
 factum putem: certe ut ingenue fatear,
 quod ſentio, illa quæſtio, quæ multorum
 Patrum ingenia exercuit, & torſit, nunc
 Episcopi ſunt jure divino a Chriſto inſti-
 tuti, immediate, non tantum quoad pote-
 ſtatem ordinis, ſed etiam omnimodam ju-
 riſdictionem, me non parum commovet,
 quodque eo nomine ſemper habui ecoſum,
 quod Sanctiſſimi Domini Papæ primariam
 illam, & plenariam auctoritatem, & di-
 gnitatis Pontificiæ faſtigium, viderem
 dubium nonnihil revocari, aut imminui:
 ſed hujus quæſtionis veritatem idem illu-
 ſtriſſimus Cardinalis pro ſua incompara-
 bili doctrina, tam validis, & irrefragabi-
 libus Scripturæ testimoniis, firmam, immu-
 nitam, & ſtabilitam oſtendit, ut exactiſſi-*

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

me illius Sententiæ mihi per omnia sub-
 scribendum potius esse putarim, quam a-
 ctum agendo, scilicet differendo prolixè
 post eum de eo argumento, ubi tempus
 frustra tererem & vestras alioquin patien-
 tissimas aures ingenii, & sermonis nostri
 rusticitate obtunderem: meam igitur sen-
 tentiam sic uno verbo explico. Horum
 iudicio, qui pie, & christiane affecti sunt,
 quique veritatis potius, quam placiti ra-
 tionem sectantur, dubium non est, quin
 doctrina canonibus permessa veritatem Ca-
 tholicam, & simplicitatem Ecclesiasticam
 ita redolere videatur, ut de ea subdubi-
 tare, aut contentiosius disputare, meo ju-
 dicio impium sit, & eorum, qui nimio
 contradicendi studio laborant: hæc igitur
 doctrina mihi videtur omnino sana, Chri-
 stiana, & Catholica, dignaque, quam
 Sanctæ huic congregationi a Spiritu san-
 cto afflatam agnoscamus; ea tamen lege,
 & conditione, ut Sacra deputatio ratio-
 nem habeat eorum, quæ doctissime, &
 prudentissime animadversa sunt, atque ob-
 servata, cum a plurimis Patribus, tum a
 præfato Reverendissimo Cardinale Lotha-
 ringio: idem est meum de Canonibus ju-
 dicium, nisi septimus ille Canon, de quo
 tantopere certatum est, & nondum lis di-
 rempta, mihi modis omnibus non satisfac-
 cit, nisi esseratur ad eum modum, quem
 censuit idem Reverendissimus; insuper om-

Sæcul. XVI. *nino necessarium esse existimo, ut præsi-*
A.C. 1562. *ptis ab eodem Cardinale verbis adjici-*
 tur Canon de primatu Petri, & plenitudine potestatis Sanctissimi Domini Papæ, quam habet in universas totius Ecclesiæ Catholicæ oves, ut universalis Ecclesiæ auctoritate Ecclesiomastigium, atque hereticorum improbitatem retundamus, eorumque technas, & consilia dissipemus, eorum conatus, & vires omnes tendunt, & in hoc uno mutuo inter se conveniunt, ut Monarchiam Papalem, supremamque ejus auctoritatem funditus evertant, & jacto suæ impietatis fundamento, hierarchiam Ecclesiasticam, veluti castrorum aciem ordinatissimam, minori negotio e medio tollant, Ecclesiam primo sine Papæ constituant, & deinceps sine Episcopo, sine Sacerdote, sine sacrificio, sine lege, & quod omnis blasphemiae, & impietatis est caput, sine Deo. Hæc sunt Scythianæ, & ministrorum ejus artes, his sunt fructus novi, & quinti Evangelii.

Ceterum circa septimum Canonem hic Præsul suam mentem aperiebat his verbis: doctrina hujus Canonis quatuor videtur absolvi posse capitibus, nam in primo agitur de Episcoporum institutione: in secundo asseruntur Presbyteris Superiores Episcopi: atque in tertio tractatur de potestate Beatissimi Papæ, in postremo

autem quomodo ea, quam hactenus habuerunt, potestate potiri debeant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Ad primum quidem membrum, Apostolos, atque adeo eorum successores Episcopos a Domino institutos esse, præter ea, quæ Matthæi 18. Luc. 22. Joannis 20. scripta habentur, nonnulli convincunt notissimi Scripturæ loci, imprimis Act. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo, ubi institutio tribuitur Spiritui sancto: hinc actuum Apost. 13. scriptum legimus: segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Et quid apertius verbis Pauli, & ipse quosdam Apostolos dedit? ubi Ambrosius non erubescit Episcopos surrogare in locum Apostolorum: insuper ad Galat. 2. Paulus ait: qui operatus est Petro in Apostolatam circumcisionis, operatus est mihi inter gentes, sic autem fuit Christus: igitur Paulus non suscepit huiusmodi officium a Petro, sed a Christo Salvatore nostro; quemadmodum ipse fatetur initio hujus Epistolæ, se vocatum Apostolum, non ex humana, sed divina institutione, asserens se Apostolum neque ab homine, seu per hominem, sed per Jesum Christum, quamquam hoc credo fuisse in Paulo speciali ex privilegio; neque enim intelligo

PP 3

Episco-

Sæc. l XVI. A. C. 562. *Episcopus sic a Christo institutus esse immediate, ut non crediderim, opus esse vocatione externa, & ministerio homini, scilicet Romani Pontificis, sine cuius auctoritate, aut voluntate vera, vel presumpsa, explicita, vel implicita, nemo Episcopatum adeptus est unquam a temporibus Apostolorum huc usque, alias extraordinariam vocationem oporteret probari miraculis.*

Postea hic Episcopus innumeris ferme testimoniis comprobatum reddebat, quod Apostoli fuerint instituti a Christo, ut proin Episcopi eorum Successores eadem prærogativa fruere, æque ac Presbyteri, qui septuaginta discipulis successerant: tandem ita prolequebatur: quod attinet ad plenitudinem potestatis, quam Summus Pontifex habet a Christo Domino, & Salvatore nostro in universalem Ecclesiam, quod & corde credo, & ore confiteor juxta Canonem Sacrosanctam 22. distinct. qui est ipsius Anacleti, Ego, inquam, Sanctissimum Pontificem eadem præditum potestate agnosco, quam Evangelium Christi, & Catholica Ecclesia illi hæcenus tribuit, idemque de eo, ut Successore Petri sentio, quod de Petro post Chrysostomum Theophilactus in Lucam sentit, cujus sunt hæc verba: tu vero conversus, confirma fratres tuos, planus hujus loci intellectus est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

est, quia te habeo, ut Principem discipulorum, postquam me negato sleveris, & ad penitentiam veneris, confirma ceteros: hoc enim te decet, ut qui post me, Ecclesie petra es, & fundamentum: agnosco igitur summum Pontificem Christi Vicarium in terris, legitimum Petri Successorem, ut vetustissimi quique Scriptores constanter affirmant, qui est caput, scilicet ministeriale, quod Christus instituit in terris, ut servetur unitas, & ordo, & ad vitandam omnis schismatis occasionem, qui est omnium Episcoporum in omnibus totius orbis Christiani Provinciis, unus tanquam communis Pater, Ecclesiasticæ dignitatis apicem tenens, ex quo pendent Episcopi, cujus auctoritatem sequuntur, & ad quem de causis majoribus omnibus referuntur omnes, qui ab aliis Episcopis in hoc tantum differt, quod illi in partem sollicitudinis sint vocati, penes hunc vero est plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, nam si ex æquo omnes possent omnia, retineri unitas non posset, cui etiam Christus Joannis ultimo committens agnos, & oves, totum ovile, universalem Ecclesiam, illi commissam esse ostendit: quam ob rem, amplissimi Patres, nobis, qui sumus populus ejus, & oves pascuæ ejus, non tam de Sanctissimi Pontificis potestate disputandum esse judico, quam pie rogandum esse Christum, ut Sanctissimo Domino nostro Papæ, &

Pp 4

eis,

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

*eis, qui ejus Successores futuri sunt, inji-
ret mentem, ea potestate utendi ad cediti-
onem ovilis Christiani, nobisque, qui in
adsumus, ea cogitandi, quæ faciunt ad vete-
ris disciplinae nostris moribus propemodum
extinctæ reparationem & reformationem.*

Denique ad postremam septimi Ca-
nonis partem transiens hæc effatus est:
*eam omittendam esse censeo, si autem Syno-
dus illam decernat apponi in Canone, desi-
derarem declarari, quænam sit illa potestas
Episcopalis in Doctrina: proptereaque tota
nostra Episcopalis jurisdictio hodie videtur
saltem apud nos propemodum absorpta,
partim ex parte Principum & Magnatum
Secularium, qui sibi arrogant multa jura
Ecclesiastica contra caput decernimus de
Jud. horum enim temeritate præpeditur, ut
nostra jurisdictio suum sortiatur effectum
in excommunicationibus, in citationibus,
in causis Ecclesiasticis, in causa hæreses,
in reparationibus Parochiarum, & aliis
spectantibus ad visitationem, partim ex parte
Ecclesiasticorum maxime exemptorum: quia
si Episcopus velit cogere plebanos ad resi-
dentiam, e continuo aut se exemptos afferunt
aut petunt portionem congruam, unde ex-
vant, quam, ut æquum est, non est nobis
liberum assignare obstantibus his, quorum
interest, ita fit, ut simus stipites, & trunci.
Præterea si sic videatur Synodo, aut Sacrae
deputationi, ut adjiciatur ultima illa clau-
sula,*

fula, in qua dicitur, Episcopus potiri debere ea potestate, quam hactenus habuerunt, oportunum esse videtur, ut paucula hæc verba etiam adjiciantur, secundum Canones Conciliorum, & Patrum decreta, propterea quod Episcopalem potestatem explicatius, & certius assignent, & videantur illis os obstruere, qui malignius Canonem interpretantes, eo ad reformationem morum viam præcludi existimant. Cetera, quæ hic Episcopus proponebat, non nisi reformationem tangebant.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. LIV.

Oratio Metensis Episcopi Italis parum accepta.

Eadem die horis pomeridianis in quadam Congregatione excipiebatur oratio Francisci Belcarii Metensis Episcopi, qui in deprimenda Pontificis auctoritate paulo acerbius, magis tamen exacte, quam Virodunensis Episcopus differebat, quamvis ejus oratio Italis Præsulibus minus grata accideret: porro hic ita perorabat: *multi in Romano Pontifice auctoritatem ex Imperio metiuntur; & sicuti Christianus orbis immensus erat, ita censebant summi Pontificis auctoritatem immensam, adeo ut is Episcopos assumeret, in partem sollicitudinis, eisque functionem quasi accomodatam, aut precariam concederet: econtrarie prorsus ego opinor,*

*Psal. p. 347.
349.
Pallav. c. 6.
num. 5.*

P p 5 quan-

Sæcul. XVI. quando Episcopi successerant Apostolis, qui
A.C. 1562. a Christo vocati fuerant, & Mathias, hoc
 hoc est, divina voluntate assumptus: ab Episcopis igitur munus proprium, non a Pontifice delegatum obtinetur: porro de illa voce, in qua complures nitebantur, Plenitudo potestatis, dico, perinde, ac loquebatur Chrysostomus, de plenitudine gratiæ intelligendam esse, alia fuit hujusmodi plenitudo in Christo, alia in Virgine, alia in Apostolis, alia in aliis Sanctis, pro varietate recipientium; ita pariter plenitudo potestatis etiam in summo Pontifice suis est cancellis limitata. (*)

(*) His adjicit Pallavicinus: sed iste Episcopus hac in re plurimum cancellos transgressus est: nec minus ipsemet Pfalmæus, quamvis natione Gallus circa hujus Præsulis orationem hæc narrat: dixit Belcarius, sed ut ut visus sit paulo acerbior in obscuranda, & extenuanda auctoritate Pontificia, maxime cum dixit de Paulo, quia de Petro nihil accepit, ne fuit in eo privilegium, quod neque ab homine neque per hominem vocatus sit, & de Matthæo Jurrogato in locum Judæ, & quod Pontifex maximus dictus esset primæ Sedis Episcopus non œcumenicus, unde soluta congregatione dictum fuit submissa voce ab Episcopis Italis, & scabie Hispanica incidimus in morbum gallicum intelligentes de Aliphano, Episcopo Hispano qui sententiam dixerat ante Metensem, Gallum.

Postmodum e Gallis Præsulibus alii adhuc septem in eadem congregatione perorabant, inter quos tamen eminebat Claudius (*) D'ugennes Episcopus Cenomanensis, qui contendebat, quod nulla sit differentia, & dissimilitudo inter Apostolos, & Episcopos, atque hi omnino etiam quoad plenam, & integram jurisdictionem sint a Christo instituti.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Psal. ad.
Nicol. Psal.
p. 2. p. 549.

§. LV.

Italorum, ac præcipue cujusdam Cisterciensis Abbatis sententia in favorem Pontificis.

Die Dominica Sexta Decembris, celebrato Missæ Sacrificio pro more omnes in Ecclesia convenerant, ubi habita est concio per quemdam Franciscanum, qui docte admonuit Patres sui officii in hoc sacro Concilio, ut medeantur morbis, & hæresibus ubique grassantibus: lugebat pariter Germaniam, Angliam, aliasque Provincias, maxime vero Franciam, quæ olim fuit Fidei Catholicæ vindex, nunc vero plena monstris.

Psal. l. c.
pag. 348.

Post

(*) Psalmæus illum nominatum fuisse Carolum ait: imo ipse etiam Continuator eundem Lib. §. XVII. Carolum appellat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1562

Post hæc Patrum nonnulli suas proferebant sententias, cum autem Præfules abessent, hæc Sessio admodum brevis erat: Feria autem secunda die septima ejusdem mensis inter alios dixerunt duo Itali Antistites de institutione Episcoporum, demonstrantes veteriorem esse sententiam, quod Christus nonnisi unum Episcopum, videlicet Petrum constituisset, ac Decreta, & decretales Pontificum haberi debeant tanquam sacræ Scripturæ, necnon omnis jurisdictio descendat a Papa.

Post meridiem præter alios Ludovicus Baisseus Cisterciensis Abbas circa idem argumentum verba faciens maxime pro tuenda dignitate Pontificia allegabat S. Chrysostomum in illa verba, *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ubi plus tribuitur Petro, quam ceteris Apostolis, atque ibi etiam indicatur, quod non ex quo claves traditæ Petro, & Apostolis fuerint. Censuit quoque, Episcopos prorsus esse a Christo institutos, sed præter Petrum, & Summum Pontificem, a quo post Christum, ordo sacerdotalis procedet. . . . Demum damnabat eos, qui dixerunt, ex æquo potestatem Apostolis datam esse.

S. LVI.

§. LVI.

Sæcul. XVI
A. C. 1562.*Conclusiones a quodam Claravallensi
Abbate circa institutionem Epif-
coporum propositæ.*

Tandem Hieronymus Souchier Gal-
lus Claravallensis Abbas circa E- *Psalmus*
piscoporum institutionem quasdam pro- *l. 6.*
posuit conclusiones, quarum prima est
hæc: „Episcopi a Christo immediate
„instituti sunt eo sensu: quicumque pro-
„moventur ad dignitatem Episcopalem,
„per actionem sacramentalem, scilicet per
„consecrationem promoventur, sed Sa-
„cramenta immediate a Christo sunt in-
„stituta, igitur potestas Ordinis non nisi
„per Sacramentum confertur. Jam vero
„nota est media hujus propositionis pars,
„seu *minor*, ut inquit Scholastici.

„II. Episcopus a Christo aliquam præ-
„rogativam accipit, ut sit major Pres-
„byteris, in quantum est minister Sa-
„cramenti Ordinis, id autem non com-
„petit simplici Sacerdoti, qui ordinare
„non potest &c.

„III. Jurisdictio Episcopi a solo
„Christo non est; duplex autem est
„missio interna, & externa: porro in-
„terna Deus facit aliquem idoneum,
„pro sua voluntate, prout vocatus est
„Paulus a Deo interna vocatione, &
„donis internis, quæ requiruntur in A-
„postolis

Sæcul. XVI.

A. C. 1562

„postolis & sunt divisiones gratiarum
 „I. ad Corinthios 12. v. 4. & apud D.
 „Matthæum c. 9. v. 38. *Rogate Domini-*
 „*messis, ut mittat operarios in mes-*
 „*suam:* de qua interna missione loqui-
 „tur: alia vero est exterior, qua quis
 „canonice promovetur ad ministerium
 „Ecclesiasticum ab eo, qui habet voce-
 „statem, hinc is, qui per hanc voce-
 „tur, non est fur, nec latro dicens,
 „igitur, quod jurisdictio Episcoporum,
 „in quantum interna est, a Deo prove-
 „niat immediate, interim est imperie-
 „cta sine externa, & auctoritate Su-
 „perioris, scilicet Romani Pontificis,
 „ne quo non potest exercere, quæ sui
 „jurisdictionis, unde Papa consecrat
 „Episcopum, non solum dat ei mate-
 „riam, sed & jurisdictionem.

„Porro illo Divi Apostoli textu ubi
 „qui operatus est Paulo inter gentes ab-
 „mabat, Christum determinasse juris-
 „dictionem Paulo erga gentes: Est quæ
 „dem Romanus Pontifex in omnibus
 „functionibus Christi minister, sicut
 „teri, sed erant diversi gradus ministere-
 „rum, & cooperationum. Nullus
 „ro censetur Episcopus institutus, qui
 „non sit vel a Conciliis generalibus, vel
 „a Romano Pontifice, & ex contentis
 „illius explicito, vel implicito, aut
 „casus occurreret, quominus adiri posset
 „Ponti-

„Pontifex, interpretativo, non tamen
 „est ita dicendum, quod Romanus Pon-
 „tifex omnia possit pro arbitrio, sed se-
 „cundum Regulam, & ad finem, scilicet
 „ad ædificationem Ecclesiæ, & ad sa-
 „lutem nostram. Postea Abbas Cassinen-
 „sis dixit, Papam, os, manum, & linguam
 „Christi esse: Franciscus vero Zamora,
 „Hispanus, Generalis Sancti Francisci de
 „observantia, edixit, scopum omnium
 „hæreticorum esse, ut cunctis machinis
 „Sedem Apostolicam & hierarchiam Ec-
 „clesiasticam expugnent, quibus resisten-
 „dum est, ut ait Irenæus lib. 3. cap. 2.
 „ad Valen.

Sæc. XVI.
 A.C. 1562.

§. LVII.

*Maximiliani electio in Romanorum
 Regem.*

Die Martis octava Decembris, alia ha-
 bebatur congregatio, in Templo
 Majori, ubi sacris operabatur Antonius
 de Muglitia, Moravus, Archiepiscopus
 Pragensis, ac Orator Cæfareus, ac præ-
 sentibus Legatis, Oratoribus, & Patri-
 bus, per Andream Duditium Sbar-
 dellatum, Hungarum, atque Episcopum
 Tinnensem, de laudibus Maximiliani,
 Regis Bohemiæ, habita est oratio do-
 cta quidem, & elegans, idque pro a-
 gendis Deo gratias ob Maximiliani in
 Regem Romanorum electionem, quæ u-
 nani-

*Scand. ad
 hunc ann.
 n. 40.
 Mem. hist. &
 polit. de la
 Maison
 d' Autrich.
 tom. 2. p. 22.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

nanimi Principum Electorum confectis, Francofordiæ facta est: cum igitur Maximilianus die vigesima Septembris Bohemiæ Rex electus esset, ejus Pater Ferdinandus, qui præ omnibus negotiis suæ Domus incrementa, ac Imperialis coronæ propagationem ad suam familiam procurabat, Mense Novembri hanc in rem comitia Francofordiæ celebranda convocabat, ubi convenientibus S. R. I. Principibus suo nomine Maximilianum in Romanorum Regem proponi voluit, atque adeo dextre Principum, ac Deputatorum animos inclinavit, ut Maximilianus die trigesima Mensis Novembris, seu verius die vigesima quarta unanimi suffragio eligeretur; illum enim die Sancto Andreae sacra, seu trigesima coronatum legimus, cui festivitati, necnon sacro solemnique ad Evangelii finem quidam Protestantes Electores intererant, Palatinus vero ad Missæ initium, Saxoniz autem & Brandenburgi Electores decantato Alleluja recesserunt.

§. LVIII.

Patris Laynesii oratio circa Episcoporum jurisdictionem.

Pallav. l. 19. Feria quarta die nona Decembris matutino tempore supremus Fratrum Minorum Moderator sermonem suum professus.

proferebat, vespere autem Pater Lay-^{Sæcul. XVI.}
 nesius Jesuitarum generalis Præpositus A.C. 1562.
 prolixam habuit orationem, in qua men-
 tem suam circa institutionem Episco-
 porum his verbis aperiebat: „Potestas
 „Ecclesiasticæ jurisdictionis est certa
 „quædam superioritas, seu præfectura
 „unius clerici supra alios, ut eos di-
 „rigat ad æternam vitam, divina man-
 „data, eorumque custodiam; idcirco
 „tam in superiori, quam in subditis re-
 „quiritur conditio, quod uterlibet sit
 „Christianus, & saltem superior simul
 „clericus: porro hoc admissio arbitror,
 „hanc præfecturam oriri a summo Pon-
 „tifice. „ Id autem Laynesius primo
 loco confirmabat compluribus testimo-
 niis, & inter cetera in hanc senten-
 tiam Decretum Innocentii III. alte-
 rum Lucii III, & tertium Clementis
 III. produxit, & postea transiens ad ra-
 tiones ita effatus est: „interdum tradi-
 „tur alicui materia, jurisdictione non
 „tradita, cum idem per se amplissimam
 „obtineat potestatem, prout eam legi-
 „mus traditam D. Paulo, dum missus
 „est ad Gentes, necnon Petro, cum ad
 „circumcisos decerneretur: Jurisdictio-
 „nem autem confert Pontifex tanquam
 „Dei Minister, cum Diœcesin aliquam
 „adjicit Patriarchis: sed plerumque
 „cum Pontifex gregem tradit, simul
 „*Hist. Eccles. Tom. XLV.* Qq „tra-

Sæcul. XVI. „traditur supra gregem præfectura: non
A.C. 1562. „si nihil aliud ille præstaret, nisi de-
 „stinationem materiæ, conficeretur hinc,
 „quod potestas habeatur ab Episcopis
 „aut a se ipsis ex vi Ordinis, aut ab
 „alio capite, quam a Pontifice: porro
 „posterius nulli Catholicorum in men-
 „tem venit, & prius factum deprehen-
 „ditur: siquidem Episcopi etiam ante
 „consecrationem possident jurisdictionem,
 „sicut habetur in postrema Extra-
 „vagante Clementis V, atque id corre-
 „boratur undecimo Canone Concilii
 „Chalcedonensis, quo imperatur, ut an-
 „te consecrationem probetur, num-
 „quispiam titulum obtineat, hoc est, cu-
 „ram animarum, quæ cura jurisdic-
 „tionem importat: ceterum si verum esset,
 „quod adversarii contendunt, jurisdic-
 „tionem impertiri a Deo una cum
 „charactere, inde sequeretur, hanc ju-
 „risdictionem in cunctis æqualem
 „turam sine ullo discrimine inter me-
 „ros Episcopos, & inter Metropolitanos
 „& Patriarchas, cum omnes æque sine
 „consecrati, nec ea a Pontifice auferi
 „aut coarctari possit: verum traditur
 „a supremo Pontifice hæc jurisdic-
 „tionem tanquam a Dei ministro, quoniam Ar-
 „chidiaconi quoque ministri Dei sunt, non tri-
 „men ideo is est simplex minister, sed
 „talis, qualis fuit Joannes, in suo ba-
 „ptismo

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

„ptismo, qui Joannis baptismus diceba-
 „tur, quod ipse illum instituerit, quam-
 „vis ex auctoritate divina: at vero
 „Baptismus, quo Petrus baptizabat,
 „non appellatur baptismus Petri, sed
 „Christi, nam, cum in ejusmodi baptif-
 „mo remitterentur peccata, Petrus il-
 „lius causa esse non poterat, nisi per
 „merum ministerium: eapropter juris-
 „dictio traditur a Pontifice, qui injungit,
 „ac imperat ex auctoritate, & tanquam
 „Ecclesiæ Princeps, ita ut jurisdictio
 „tam ea, quæ extra ordinem est, quam
 „ordinaria recipiatur ex vi hujus im-
 „perii, non autem ex vi consecrationis,
 „aliter nemo illam acciperet a Ponti-
 „fice, quippe qui neminem consecrat:
 „non tamen propterea hæc jurisdictio
 „in Episcopis est delegata, sed, sicut
 „in juribus ordinariis, ab aliquo Magi-
 „stratu supremo constitutis, nonnullis
 „tamen nullo interposito ea a Christo
 „fuit tradita, sicut Apostolis, sed com-
 „muniter reliquis impertitur a Ponti-
 „fice, non per modum meri ministerii,
 „sed per modum mandati. „ His di-
 „ctis conclusit, definiendum esse, quod
 „Episcopi, quantum spectat ad ordinem,
 „sint ex jure divino, nulla facta mentio-
 „ne jurisdictionis, de qua complures Do-
 „ctores Catholici varie opinabantur.

Qq. 2. l. 2. §. LIX.

Sæcul. XVI.

§. LIX.

A.C. 1562.

*Patrum judicia circa formulam
Lotharingio Cardinale pro-
positam.*

Pallav. p. 288 Quamvis omnes suam sententiam omnino prævalituram sperarent, cuncti tamen hi varii sermones rem haud decidebant, cum quivis plerumque potius privatæ suæ opinionis, quam veritatis tuendæ studiosus videretur, ac quidem inter ceteros Lotharingus Cardinalis formulam a se propositam non fuisse illico approbatam querebatur, nihilominus tamen, ut ea examinari subjiceretur, tolerare cogebatur; quippe hanc in rem seligebantur septem Theologi, & duo Canonice Jurisprudentiæ Doctores: porro Theologi fuere Petrus Antonius Capuanus, Leonardus Marinus, & Caspar de Foffo, quorum primus erat Archiepiscopus Hydruntinus, alter Lancianensis, & tertius Regginus: insuper nominabatur Didacus Laynius Societatis Jesu Præpositus Generalis: Canonum autem periti fuerunt duo, qui postea in summos Pontifices fuere electi, Hugo Boncampagnus, & Joannes Antonius Facchinettus, præterea Episcopus Vestanum, & Neocastrensis, qui duo demum Cardinales renunciabantur. Denique Gabriel Paleotus Romanus

Romanæ Rotæ Auditor, & Scipio Lan- ^{Sæc. XVI.}
 cellotus, Synodi Advocatus feligeban- ^{A.C. 1562.}
 tur, quibus adjectus est promotor Joan-
 nes Baptista Castellius.

§. LX.

Annotationes in hanc formulam.

Tribus primis Theologis exemplar *Pallav. p. 288*
 Lotharingii Cardinalis placebat, non
 tamen Laynio, qui a se schisma præ-
 videri affirmabat, cui tandem concor-
 diter consensere Canonum Doctores, ob-
 jectorum autem summa hæc fuit.

Septimo Canone secundum memo-
 ratam Lotharingii Cardinalis formam,
 in eo, quod declaret, Episcopos esse in-
 stitutos a Christo, nihil impugnantur
 hæretici, id enim ipsi non inficiantur,
 sed asserunt, Episcopos assumptos a Ro-
 mano Pontifice, non esse veros, ac le-
 gitimos Episcopos, eosdemque appel-
 lant capita rafa, inuncta, oleo perlita,
 & larvas Papales: insuper in hac for-
 ma proscribitur sententia plurimorum
 catholicorum Scriptorum, qui existi-
 mant, unicum Episcopum, hoc est, Di-
 vum Petrum fuisse a Christo institu-
 tum, & reliquos omnes ab eodem hoc
 Apostolo: unice igitur, pergebant illi,
 prætextus obtenditur, quo hæretici
 persuadere nituntur, quod Episcopi in-
 ter hæreticos a Regibus, aut a populo
 Q 9 3 electi

Sæcul. XVI. A.C. 1562. electi, sint veri, ac legitimi Episcopi, nam dum absolute affirmatur, Episcopos institui a Christo Domino, videtur significari, eorum potestatem esse totam a Christo, ita, ut Elector nudum quoddam ministerium exerceat, non autem vim causæ efficientis exerceat.

Denique hæc differendi ratio nimium vaga videtur, ita, ut inde concludi posset, quod hæc institutio æquali ratione tam ordinationem, quam jurisdictionem complectatur, cum aliunde semper periculosum sit, formam aliquam verborum proferre ad conciliandas duas partes adversas, Sagaces, ac suspiciosas, quæ cum contrariæ sint, fugitæ, quod quærit altera: cum autem sint perspicaces, singula detegunt, quæ illi qui utramque partem conciliare studet specioso verborum apparatu tegere solent: tandem vero, quia suspiciosæ existunt, id quod sibi nocere credunt, confestim apprehendunt: Verum hæc annotationes non satis solidæ videntur.

